



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Anima Historiae Hujus Temporis In Invicto Caroli V. Et Ferdinandi I. Fratrum Imperio, Repræsentata**

**Masen, Jacob**

**Coloniae Agrippinae, 1672**

Liber IV. Historiarum Caroli V. & Ferdinandi Imp.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-28359**

## LIBER IV.

*Historiarum Caroli V. & Ferdinandi Imp.*

Uspensishominum ex tam novâ federis tractatione animis, non diu latuit, quâ mente fidem obstrinxisset : Nam rogatus à Proregis ministro, ut pactis, loco, uti convenerat libero, subscriberet, cunctatus est, quod procerum suorum animos ante molliter pertentandos, atque in rem tam arduam inflectendos diceret. Sed Pontificis Venetorumque legatis non multò post Regem invisentibus, prælixè acerbèque de Caroli vsurpat aerga se inhumanitate questus est. \* Duorum modò Gallia Regum extare caprivitatis memoriam asserbat, Joannis in pugna apud Pictones ab Angliæ Principe intercepti, & apud Ticinum Francisci. Illum apud Eduardum Anglorum Regem, omni humanitatis officio cultum, libertatem in custodia, benevolentiam in hoste tantam comperisse, ut familiarium ipse colloquiorum socius atque arbiter conviviorum venationisque particeps, tanto amicitia sensu cum Eduardo consueverit, quantum captivitate solutus ostendit, quando hospitis sui desiderio eundem multorum postea annorum intervallò rursum invisit, non aliis jam vinculis, quàm benevolentia captus. Se omnia secus expertum, Vti illum exercitæ in hostem clementia; sic alterum se acerbitalis exemplum esse, ne utriusque fortuna experimenta Gallia Regibus deessent. Comperisse porrò ex privatis Madriti colloquiis quam profundâ ambitione Carolus peccatus occupatum gereret, quàm adversa Italica libertati consilia agitaret. Fauros in rem suam consulte, si animos viresque communi federe adversus infestissimum hostem cogant. Se quidem nullo sacramento, quod iniquâ legè & potestate coactus suscepisset, Carolo teneri. Neque vero patriis Regi legibus, permissum esse; ut quicquam absque procerum consensione de Majorum possessione alteri nationi cedat: quod cum Remis coronatus jurejurando se futurum receperit, antiquiori Sacramenti religione regno se, quam Casari obstrictum manere: id præmonitum Carolum ignorare non potuisse, quem iniqua postulantem, nec æqua quidem fas sit obtinere. \* Hæc palam disserebat, ut Pontifici Venetisque in communionem armorum pertractis, belli opinione & rerum difficultate Casarem terreret, atque mitiores pacis rationes, veteri obligatione remissa, converteret.

1526

\* 1  
Franciscus Caroli inhumanitatem apud Pontificis & Venetorum legatos arguit, negat quo se teneri promissis.

Guicciard. li. 17.  
Goldast. constitut. Imp. T. 5.  
1. Schleid. 1. 6.

T

Casar

An. Chr. II  
Lanois  
Casaris.  
legato  
Burgun-  
dia resti-  
tutionem  
negat, pro  
an tamen  
pecuniam  
esset.

Caesar ut exploratius Francisci mentem cognoscere, Lanonum ad Regem mittit, qui Burgundiae restitutionem ex legibus Maditanis urgeret. Quam, licet magna honoris ac benevolentiae significatione venientem Franciscus exciperet; negavit tamen \* sua esse potestatis Burgundiam cedere, suisque Franciam membris truncare, & juramenti religione, & Procerum voluntate obstantibus. Nihilominus reliquos se foederis articulos minime violaturum; orare tantum, ut unus ille pecuniarum multa permutetur \* Quibus cognitis Caesar urgebat, ut si minus ex regni placitis (qua tamen aliarum possessionum restitutionem prohibere non possent) Burgundiam abire liceret, ipse ad captivitatem rediret, quod & posset, & jurejurando se facturum recepisset.

III  
Carolus  
arma pa-  
rat in  
Regem.

Sed ubi verba sibi tantum à Rege dari intelligeret, mirum est quantam indignatione lubricam Francisci fidem suamque credulitatem detestatus sit. Pudebat nimirum, Procerum suorum monita tam abs se temere spreta, hostisque fictae comitati & inanibus pollicitationibus posthabita. Cum arma igitur fortunamque belli experiri quam Regi obsequi, Burgundiaeque obnuntiare mallet, Borbonio Mediolanensis imperii administrationem commisit. Lanonum ad regni Neapolitani maturam defensionem destinat, milite, ut potuit, singulis attributo: Barcelona classem omni celeritate jubet instrui. Hugonem vero Moncadam maris praefectum ad Regem, ac deinde ad Pontificem ablegat; ut vel illius voluntatem, ad veterum pactio-um observationem inflecteret: vel hujus à novorum cum Gallo foederum ratione abduceret.

IV  
Veneti cū  
Pontifice  
Francisco  
adhaerēt.

Sed cum Veneti ac Pontifex jam dudum ad societatem armorum contra Caesaris potentiam conspirassent, unius Francisci ambigua cunctatione suspensi, prope fœdus sancitum est, postquam Rex Carolus ad arma potius, quam ad irritandas pactio-um leges provocatum cerneret. His praecipue legibus societas inter Clementem, Regem, Venetos & Franciscum Sphortiam constitit. Venetia, Infubria Sphortiae restitueretur, regii liberi communibus armis extorquerentur Caesar: Neapolitanis Pontifex, Imperialibus regionibus Gallus, Mediolanensibus Veneti, armis tamen Pontificiis Francisci-que adjuti bellum inferrent. Henricus Angliae Rex magnis pollicitationibus ad hujus foederis protectionem est invitatus.

V  
Pontifex  
apud Ca-  
sarem  
causam  
mutati  
consilii  
aufert.  
Epistol.  
Princ. vol  
I & 2.  
Goldast.  
& Schlei-  
supra.

Pontifex igitur datis ad Caesaris literis armorum necessitatem excusat suaque in ipsum studia, manifestis offensionibus mutata, commemorat. \* Hactenus se omnia voluisse pro Caesare, Galliae Regis, & beneficia, & gratiam posthabuisse. Centum aureorum millia in victorem Caesaris militem, capto jam Rege, profudisse, spe, ut intelligat, recipiendi nullam. Adversariorum nudasse consilia, ut res fortunaeque Caroli extolleret. Verum eam esse factorum gratiam, ut armis, quae defendit, oppugnetur, & post hostes Caesaris profligatos, ipse hostis jam loco, post consumpta beneficia illiberalis habeatur, imperatorii praesimilitis in Parmenses & Placentinos immitti aut praeda, aut ludibrium. Suam pro Sphortia intercessionem precesque obstinate reiici. Per Hispanias & Neapolim leges Romanae Ecclesiae adversarias ferri, neque dignitati suae, neque

neque æquitati satis congruas Borbonium & ad Massilia obfidionem destinatum, & non necessaria in Italiam pertraxisse bella. His malis occurrendum fuisse, ut sua constaret Italia tranquillitas, ac causæ æquitas: nisi Cæsar pacem malit, arma sibi etiam in promptu fore. \* Nullius hic tanti ponderis à pontifice allata oratio, quæ arma merito persuaderet; alia, quam animo tantum, non cålamo complexus erat, illa fuit, quæ metuendam Cæsaris potentiam infringere per Italiam cupiebat.

Respondit verò ad literas Clementis Granatæ ex Hispania Carolus, hanc sententiã. \* Illa, ut intelligo, beneficiorum meorum jam memoria evanuit, quibus sublati, Pontifex non esses, mea illum honorem intercessioni debes. Verum pristinae recurrunt invidiæ, & hostibus quondam tuis favorem, quàm amicis benevolentiam magis rependere. Meminisse poteris, ita me summum in Germania Imperium assecutum esse, ut jus regni Neapolitani Leonis Pontificis assensione unà relictum fuerit. Et quamvis cum Leone tuum deinde studium Regi Gallia adversus me sociaveris, id tamen mutatâ voluntate, brevi ad me conversum est, postquam Galli Regio Lepidi Pontificiæ ditionis oppido animum adjecissent. Neque ingratus tui, cum millia aureorum decem proventus annui ex Tolentino Archiepiscopatu ad te derivarem. Quod Borbonium Gallia immiserim, quale obsecro delictum? An Gallos ex Italia propellenti in Gallias consequi non licuit? an nefas patrias illum possessiones per vim adempras, vi repetere? quæ hæc Italarum clades? Num quod Franciscus bello rursus Insubriam infestavit? at hoc Pontificis consilio plerique factum asserunt. Nimirum ut non modò verba in nos sua, tanquam publicæ quietis turbatores, sed & tela hostium acueret. Neapolitanum regnum clientelæ Tibi jure obstringitur; non diffiteor, verum causæ, quæ possessione clientem deturbare, eadem & dominum possunt: utriusque suis legibus de jure, atque injuria cautum est. qui iniquo bello aliena appetit; æquo amittit propria. Pacem amare ac tranquillitatem Italiae vidèris, sed tua magis persequeris, commoda: pace an bello, tuâ parum interest: Pacem nuper ambiebas, modò sequestri & depositi nomine agrum tibi Mediolanensium crederem, nimirum, ut perpetuus sequester esses, ac verius possessor. Nunc Gallia Regem in Hispania etiamnum absentem ad bella revocasti, ipsius confessione Regis. Sacramento mihi obligatum solvisti, perfidæ magis autor, quàm solutor obligationis. Bella intulisti priusquam denuntiares, gentium jure, tuâ etiam, opinor, autoritate, absolutus: neque solâ me Italia; verum toto imperio deturbatum velles. Hinc occultæ conspirationes & injuriosa federa: unum meum exercitus præcipuum Ducem Piscarium tuis ad perfidiam sollicitationibus provocasti. Neapolitanum regnum defectionis ostentabas præmium, ut meis possessionibus meos Duces corrumperes, ex alieno promissor non illiberalis. Indulget tamen aliquid tibi, & Sphortia Mediolani possessionem, regiâ fide ac diplomate, detuli, qui, quod obfidione meorum prematur militum, tua imputet conjurationi, quæ addictam mihi fidem ad te hostesque meos transtulit.

*Cæsar  
Pontifici  
ingratis  
judicium  
expro-  
brat. Et  
causis  
belli allu-  
ris respon-  
det.*

An. Chr. , Hanc tu illius, etiam cum deprecaris culpam fateris. Ignoscere me cuperes, ne videlicet deinde habeam, quibus in Italia liceat ignoscere, subditos. hoc, si impunè beneficiariis sit, quid in dominos non aulint? Ex Parmensibus & Placentinis meos alii milites indignaris. Hos equidem Romanæ Ecclesiæ cives, esse nego, Mediolanensibus accensentur. Quod eos nupet avulsos imperio, Ecclesiæ concesserim, non debitum erat, sed gratia, quæ ab ingratis perditur, Nihil igitur hinc ad te injuriæ, ubi nihil juris, perveniet. Legibus quibus Romanam sedem oppugnari asseris, per Hispaniam illæ sunt, quibus cavetur, ne patronatus jura, ab Adriano mihi Pontifice concessa, Romæ supprimantur. Sed vide, quàm indigna queraris. Meis è regnis provinciisque plus emolumentum ad Romanam sedem pertingit, plus annuæ pecuniæ defertur, quàm ceteris regionibus universis, quod docere illa poterunt Germanorum Principum postulata, quibus & sua onera, & tua commoda complectuntur; quæ tamen pro mea in Ecclesiam Romanam observantia contemnenda duxi. Quare hoc potius age, quod & muneris & æquitatis tua erit, à me arma in hæreticos & Turcas mecum conuerte, subveni turbatæ in Germania religioni, fer opem Pannoniæ Turcarum formidine trepidati. Hoc invalescens hæresis, hoc incubens barbarorum Europæ tyrannis, sacri profanique juris oppressio, distantum seditionibus imperium violata tot injuriis Ecclesia postulat. Quorum si tu calamitate non tangeris, si voces precesque meas arroganter rejeceris, ad Concilium sine dilatione instituendum, provoco, ut causæ utriusque æquæ plurimum sententia absolvantur.

*Provia  
Pontificē  
ad arma  
contra  
hæreticos  
& Turcas  
vertenda*

*VII  
Ad Car-  
dinales  
etiam li-  
teras Ca-  
sar desti-  
nat, qui-  
bus suum  
in Eccle-  
siæ  
pacem  
studium  
indicat,  
concilii  
que postu-  
lat.*

His literis Cæsar alias ad collegium Cardinalium adjecit, quibus suum erga Romanam sedem fidemque orthodoxam testatur studium, quo se nulli quicquam Regum concedere profitetur. Argumento esse neglectam totius Germanorum Principum offensionem; imo summum imperii discrimen religionis periculo posthabitu. Nuper indictam ab ipsis publico conventu fidei conciliationem suo disjectam mandato, ne quid Pontificiæ autoritati decederet, spem tamen fecisse alterius instituendi propediem concilii. Hoc si Pontifex inconsulta negligentia dislerat; orare se, ne hoc muneris sibi vindicare graventur: ut rebus catholicis, ad perniciem in Germania spectantibus, maturè consulatur, & ultimum religionis excidium antevertant. Porro si quid resp. Christiana ex dilato concilio opisque necessariæ cunctatione accipiat detrimenti; id sibi, omnia pro pace cupienti, minimè esse imputandum. Verùm nihil illà Cæsar postulatione impetratum. Neque Germaniæ in fide naufragantis periculum tanti erat aut Romanis, aut Cæsari, ut propterea de uno Italiæ principatu periclitari mallent. Insana Christiani orbis Procerum similtate, qui ut digitum tuerentur, totum corpus lethiferis exposuere vulneribus, de una magis regione, quam religione defendenda solliciti; quæ eorum quidem nomini turpitudine adhesit vehementiùs, quibus ex officio fidei erat commissa defensio.

Gallia Rex Franciscus, ut Germanos sibi conciliaret, Principes causamque

que bellorum à se in Carolum rejiceret, literas ad eosdem dedit. \* Illam ad se, in-  
quit, Pannonia à Turcis occupata cladem, non levi doloris sensu, pertingere,  
Ludovici Regis mortem dignam lacrymis & affini illi imperatoris commiseratione,  
dignam in ista calamitate Germaniam, cui à Casare rectius consulatur,  
Pacem inter Christiani orbis Principes constitutam, tantis miseris unum fu-  
peresse remedium: huius se desiderio teneri, hanc omni ambire consilio. Ve-  
rùm obstinate in bellum ferri Casarem, æquissimas pacis condiciones asperna-  
ri, non illi calamitates publicas, non armatum in nostrum exitiū Turcam, non  
amissam cum sororio Rege Pannoniam, non viduæ sororis miserandâ sorte, non  
Austria periclitantis exitiū, non turbata Germaniæ excidio, hac mente depel-  
li posse. Rectè facturos, siquidem illius ad arma pertinaciam pacis consilio  
moderentur, hortatu etiam ad diversa impellant: Europæ melius prospectum  
adversus tot clades fore, si cum vicinis Regibus amicitiam, quam bella ma-  
lit, immensamque regnandi cupiditatem, iis, quas fortuna & æquitas conces-  
sit finibus, circumscribat. Ita præter suas opes & propriam aucturum gloriam,  
& subditorum salutem. Gallia Reges adversus Christiani olim nominis ho-  
stes bello victoriosque celebres, posse nunc eodem arma viresque conferre.  
Pacem tantum cum Casare impetrent, omne suum robur quamprimum se in  
Turcam collaturum. Quod si obtinere nequeat, neminem id sibi versurum  
crimini, si, quæ inermi benevolentia non possit, armata potentia suadere  
conetur \* Casar ubi animadverteret, hac arte Franciscum Germaniæ Proce-  
rum favorem velle occupare, invidiamque turbata tranquillitatis de-  
clinare.

Principes scripto admonuit; \* ne quam Francisci literis fidem haberent, si-  
mulata hæc esse quietis obtenta vela, quibus bellicas machinationes obtegat,  
Nihil à se duriter atque inclementer in captivum Regem commissum, obti-  
nuisse libertatem legibus, & æquis satis, & sacramento illius firmatis, so-  
roris etiam natu maximæ connubio, hanc se amicitiam solidiori nexti adstrin-  
xisse; verum irritum, ut videat, tam fidei, quam pacis disjectæ conatu. Nu-  
per in Italiam destinatum sibi iter bellumque adversus Turcam fuisse, sed  
Franciscum & Clementem intempestiva conjuratione hoc consiliū quietem-  
que evertisse, jamque, prædarum ante victoriam partitione, regni Neapo-  
litani possessiones divisim adituros fuisse, nisi immaturâ adhuc spe deturbati,  
solo tantum voto frui licuisset, armorum illam tempestatem in proprium auto-  
rum caput deconvulsi: superesse, ut pari nunc exitu interversa quietis penas  
exsolvant. Ita se tunc quidem, atque etiam modò, à belli in Hungariam con-  
vertendi, voluntate deijci; suppetiis tamen, ut possit, subministratis adfutu-  
rum. Nec sane eum esse Franciscum, quem aut Ludovici interitus, aut  
Hungariæ Germaniæque tangant pericula, hanc ex mala admissorum con-  
scientia simulationem esse, ne videatur illud suasisse bellum Turcæ, cuius a-  
versatur calamitatem. Interceptas captivi Regis ad Turcam literas diversam  
ab hac sententia famam vulgasse, quam hac arte nequicquam oppressam velit

150.

VIII  
Principes  
imperii sibi  
Rex  
Gal. conciliare ni-  
titur, bello  
li cause  
in Casare  
relectis,  
Et pacis  
ostenso.  
desiderio.

Epistolæ  
Principum  
supra.  
Schleid.  
lib. 6.

IX  
Casar  
apud eos-  
dem primo  
cipis bello  
causas in  
Franci-  
scum re-  
torquos.

An. Chr. suis illum triumphis Turcarum in Pannonia accensere victoriam: Germaniam jam dudum animo spectare sese, coramque ejus tranquillitati consultum velle, nisi alia atque alia impedimenta Franciscus, tanquam vallum transituro, objiceret. Nulli dubium esse, qui quidem artificia Gallorum explorata habeat, discordiarum illos inter Germanos magis, quam pacis semina spargere, ut aliorum odia ad sua traducant emolumenta. \* Præter has literas prolixâ quoque Cæsar responsione typo vulgatâ Regis Galliarum apologiam confutat, quâ se ille federis Madritani, quamvis jurati, religione minimè teneri contendebat, præcipua utriusque partis argumenta, si responsionis capita dederò, non obscurè patebunt.

X.  
Apol. ge-  
ticum.  
Gallorū  
scriptum  
contra fo-  
dus Ma-  
dritanum  
refutatur  
ab Hispanis.  
Gold. 10.  
1. Const.  
Imp.  
Schleid.  
1. 6.

Fœdus Hispani non à Carolo, ut affirmabant Galli, sed à Francisco violatum esse, iudicio Regis Anglorum imprimis adstruebant. Quòd cum utriusque Regis Legatus Angliæ opem ex federe inito postularet, Henricus responderit: videndum prius, uter in vasorum ruptorūque federis extitisset, illi enim sese ad præstanda adversus alterum subsidia minimè obligari. Compertum verò domum esse, etiam ex ipsius Christianissimi Regis literis, primum invasorem fuisse Franciscum, ideoque Carolo etiam Henricum arma conjunxisse. Negari non posse; imperij Procures à Francisco in belli societatem vocatos, Leonem Pontificem ad occupandum utriusque Sicilia regnum, Hispania populos ad defectionem esse sollicitatos: tandem apertè arma in Gallobelgicam & Navarre regnum, Carolo nondum movente, illata, ipsis tot Gallorum, per hujus ditionem, funeribus rem haberi testatissimam.

Porro ius Francisci ad censum regni Neapolitani (quem Carolus ad coronam Hispaniarum transiturus, falsò deberi per suus, in Noviodunensi federe, indulserat) nullum quidem fuisse, solutum tamen, licet indebitum, donec prior Franciscus fidem falleret. Regni verò Navarrai restitutionem, neq; ullo Regi federe addictam, neq; jure ab eo postulatam. Clandestinas machinationes à Gallis, suo alio ingenio metientibus, magis fingi, quam probari.

Ius Francisci in Mediolanense dominium, si quod fuisset, spreto Cæsare, antiquissimo feudi domino, à quo immisit petenda erat, corruisse, neque Pontificis decreto firmari ius potuisse, quod deesset. Neque Maximiliani Imperatoris concessione hujus domini factum, ut hereditariâ ad Gallos possessione rediret; cum natura feudi id respuat; sed ex successoris domini voluntate denuò fuisse conferendum.

Iuramentum ratione Artesia & Flandria comitatum, quod Philippus Dux primus Regibus quondam Franciæ obtulerat, exolevisse vi sekeris Peronenfis, ubi inter Ludovicum XI. & Carolum Cæsaris proavum, eâ lege conventum fuit, ut nisi pactum aliud Atrebatense religiosè servetur, obligatio quoque iurandi cesset. Allo proinde à Francisco hæcenus neglecto, iuramento Carolum non teneri.

De Borbonio Duce, quod objiciant, à Carolo ad defectionem incitatum esse, magnopere eos falli. Suâ illum spoliatum provinciâ (sit tamen sua, quam Cæsar ipse successionis jure adire queat) Imperatoris opem adversus vim iniquam implorasse, petisse magis auxilium, quam attulisse. Unde etiam ad Massilia ipsi debita obsidionem translata in Galliam arma, pro consanguineo Regis principe Caroli impensis, Borbonij commodo: quo licet victus istuc exciderit, ad Ticinum tamen gloriosum fuisse victorem, suoque in vinculis parvisse Regi, qui ipsi præsens in libertate parsurus non fuisset.

Quid

Quod denique Franciscus Gallique titulum hunc neglecti federis seu clypeum obtendant. Ducatum scilicet Burgundiae regno Galliae annexum, alienari à captivo Rege non potuisse; nimis infirmum profligata causa praesidium videri. Siquidem explorata res sit: illum à Principibus tam feminis, quam viris, qui Franciae Reges non erant, antiquo iure possessum esse. A matre Ioanna Burgundiae Duce, Regem Galliarum Ioannem possedisse, qui Philippo illum Audaci filio tradiderit possidendum, ex quo eundem Ioannes Intrepidus, & huius possessa filius Philippus Bonus Dux Burgundionum Caroli Audacis pater adierit: qui deinde Carolus, pactis cum Ludovico XI initis, prorsus eundem ab omni iurisdictione Regum Francorum liberum uactus sit, hereditaque Maria filia talem reliquerit: à qua denique ad Maximilianum Caesaris thalamum transgressa, frustra obtinente, tutorisque sibi auctoritatem vendicante Ludovico, ius simul successionis ad Austriacos ac Carolum Imperatorem translatum fuerit. Non igitur aliena possidere Carolum, sed propria: nec propria tueri pertinaciter Franciscum; sed aliena: frivolumque prorsus esse, quod negent à Gallorum regno separari posse, quod separatam iam pridem fuit; nec tam iure, quam vi occupatum possideant. Haec erat Hispanorum oratio, ex qua discas, qualis Gallorum fuerit. Ita literis scriptisque apologeticis ultrò citroque concertatum est, atque inter haec arma quoque utriusque sunt partis expedita.

Et impigri quidem Veneti, ut consilia viresque Caesarianorum celeritate praecipue occuparent, Feltrio Duce militem atque arma hostilia Insubriae inferunt: nec indigno labore Laude Pompeia potuntur. Gallicus etiam exercitus quamvis tardior, Savonam receptus est, resque ad exitium Caesarianorum spectare visa; quod immodica militum libertas ultimis avaritiae luxuque exemplis usurpata, acerbissimis odijs pristinos Insubrum favores convertisset.

Opportunè tum quidem Borbonius hostium conatibus supervenit auri armorumque praesidijs, quamvis non magnis, instructus. Hic licet afflictissima urbi Mediolanensi aliquod militum onus in proxima castra subtraheret; ille tamen favor magno emptus nummorum pretio, perbrevis, cum largitionibus initium finemque habuit: ut proinde urbs alias florentissima, aut pelte aut fuga incolis atque opibus nudata, miserrimi funeris colorem duceret. Ea tamen militum Ducumque in arcis obsidione durantium pertinacia, atque infracta patientiae vis fuit, ut, Piscario jam morte subducto, contra Vastium Levamque, sub Borbonij imperio, arcem obsidentes, nihil federati proficerent; sed desperatam Sphortiae redemptione retrò animos signaque converterent. Porro Sphortia exhausto praefixoque arcis commeatu, cum nihil spei reliquum, nisi in honesta salutis pactione, cerneret; à Borbonio impetravit; ut arce tradita sibi Comiti tuto vivere, triginta aureorum millium censu, liceret; dum tractata apud Caesarem causa injuriarum absolveretur. Sed egressus arcem, cum suspectam Caesarianorum fidem haberet, federatis se adjunxit, Laudemque Pompeiam suae potestati commissam obtinuit. Ubi Pontificiae Venetaeque societatis fedus, suo nomine susceptum, publicis tabulis approbavit. Cremona deinde terrestri, simul & Ge-

lum, Guicc. l. 17. Ant. de vera in vita Caroli.

1526.

XI.

Veneti cum  
Gallis  
bellum  
bene au-  
spiciantur,  
Borbo-  
nius tam  
exhausto  
Mediola-  
no, poi-  
tur tandè  
arce, &  
Sphortia  
Ducem  
ex pacto  
dimittit;  
sed mox  
ad fede-  
ratos tra-  
scuntem.  
Paulus  
Jovius in  
Elog. Pom-  
peij Co-

Quare



An. Chr.  
XII.  
Moncada  
& Colum-  
na Ro-  
mā cum  
Caesare  
militē  
subiungit,  
favente  
populo, &  
parū h-ic  
gratum  
Clementē  
ad castrū  
adigunt.  
Vaticano  
& S. Pe-  
tro va-  
stato.

Quā re Hugo Moncada, Neapolitanæ per oceanum militiæ imperans, & Pompeius Columna, qui Pontificij contra Caesarem federis particeps esse noluerat, in spem aliquam audaciamque erecti; postquam varijs Clementem pacis artibus ludificassent, militemque, ceterū Neapolitani regni limites contra vim defensuri, Pontificijs regionibus subduxissent, ex improvise coniectis in agrum Romanum militibus, regio ad urbem itinere contendunt; receptique à parum favente Clementi populo, instructa sub signis agmina in Vaticanum ducunt; Pontifice frustra suorum militum auxilia fidemque implorante, qui cum civibus otiosi ad hoc spectaculum confluerant, postquam liberandam ab avari hominis tyrannide urbem Caesariani præcones in foro vulgassent. Ille anceps consilij, pudoreque juxta ac timore perfulsus, rem desperationis plenam meditabatur, seque, quemadmodum Bonifacius VIII olim fecerat, Pontificio throno habituque objicere furentibus, ad incertum vitæ mortisque exitum parabat; nisi Purpuratorum cohortatione ac manibus penè ab hoc avulsus propositus, atque in arcem, sui defendendi gratiā adductus fuisset. Vaticanæ domui infusus miles, omnem aulæ locupletissimæ apparatus deprædatus est, spoliolum denique aviditate ac pretio captus, excusso religionis ac conscientiæ pudore in augustissimam Apostolorum basilicam, foedissima depopulatione grassatus est; nec, à quibus hactenus altaribus Barbarorum immanitatem Numinis reverentia cohibuit, Christianorum militum avaritia potuit deterreri.

XIII.  
Moncada  
Caesaris  
nomine,  
invito  
Columnā  
cum Cle-  
mentis pa-  
cisentur  
de 4. mē-  
sum in-  
ducijs.  
Quotem-  
pore à fe-  
dera is  
recedit.

Hugo Moncada, ad Pontificem compositionis gratiā accersitus, insigni humanitate sacrum caput reveritus, nefariamque militis audaciam detestatus, suam ad sacrilegè ereptorum recuperationem fidem operamque pollicitus est, Deinde Caesaris animum ab omni possidenda Italiæ ambitione alienum esse disertè exposuit: quod licet & antiquorum Caesarum jure atque exemplo subnixus, & multorum hac aetate Italarum provocatus injuriā, & denique fortunā nuper viam rationesque monstrante incitatus fuerit; abdicato tamen repente milite, tantisque imperij momentis ad Pontificis arbitrium compositis, omnem hujusce ambitionis suspensionem abundè removisse sit visus; nisi ex suarum affectionum corruptione, nonnulli moderato Caesaris ingenio ea vitia imponerent, quæ tacito conscientia sensu in se deprehendunt. Cui postquam Clemens ostendisset: rectius felicisque imperaturum Caesarem, si tot regnorum victoriarumque insignibus ornatus Princeps, regiā magis liberalitate vicinorum Principum occupare animos, quam jura possessionesque niteretur. Neque magnificum, neque magnificentum satis in tanto Imperatore existimari, quod locupletior reliquis maxime omnium egeret videretur: & qui regna imperiaque possideat, de principatu non magno tam pertinaciter contendat: Sphortiam a vito jure fretum, nullisque nisi per injuriam invidiamque criminibus oneratum, immeritò patriā sede deturbari. Hujus impetrandi spem cum Moncada fecisset, de quatuor mensium inducijs inter utrosque convenit, eā lege, ut à conjuratorum partibus suum Clemens militem avocaret, eodemque pacto Florentini, Genuenses, Senenses, Ferrariæque Dux teneretur. His legibus Moncada, cum moram Pontifici, non inutilem suis Caesarisque rebus iniecisset; visus tamen est, non absque suspitione corrupti largitionibus animi, ni-  
mum

mium Clementi favisse. Quem ex insperata captivitate tam subito in libertatem assertum, Pompeius ingenti doloris acerbitate conspexit, quod Clementis tam facile restituti non levi sese invidiam ex suscepta captivitatis culpa, nullo suo emolumento onerasset.

Pontifex hostibus metuque utcunque solutus, ne Columniorum odijs, atque insigni Cæsaris fortunam denique opprimeretur, pacis gratiam Hispaniam ipse cogitavit; ut Caroli animum, quem aulicorum artibus contra Italiae libertatem transversum agi existimabat, praesens ipse mollioribus consilijs pertentaret. Sed ab hoc proposito Galliae Angliaeque Regum, tum Italorum Principum, cohortatione divulsus, militem tamen ex induciarum pacto Mediolano revocavit, ut tanquam adversarum partium arbiter tantisper subsisteret. Sed neque huius propositi satis firmus, adversus Columnios, suorum consilijs, vindictaeque cupiditate inflammatus, arma convertit, nullamque se perfidis fidem, humanitatem nullam prorsus inhumanis, atque in sacra iuxta ac profana sevientibus debere asserens, tantam crudelitate in Columniorum agros noxae expertes grassatus est; ut quatuordecim ferè oppida, praedis incendijsque exhausta, alienae temeritatis poenas dederint. Cum Alphonso deinde Ferrariensium Duce Mutinae Regijque Lepidi controversum possessionis jus pace, quam armis componere maluit; ut adversariorum vires minueret, augeter suas. Sed, cum Lanioius instructa classe Neapolitanum regnum ex Hispania subiret, & Alphonso Mutinae Regijque concessi diploma simulque Margaritam Austriacam, Cæsaris extra matrimonium filiam Herculi Ducis filio uxorem desponderet, hic Pontificis conatus in ipso perficendi voto substat.

Porro, cum Lanioium Pompeiumque auctis jam viribus ac neglectae fidei ultionisque acerbitate provocatos, nihil in se mite ausuros crederet; Vaudemontium e Gallia regij sanguinis adolescentem ad Neapolitani regni possessionem armis vindicandam evocavit. Is sine cunctatione ad tantam spem rei ingenium viresque singulari alacritate adhibet, Campaniaque oras classe allapsus, omnia subito terrore complet, Salernum occupat, atque inde rectam Neapolim contendens, Moncadam cum armata juvente effusum, ad urbis sese propugnacula cogit recipere. Interea Lanioius cum Pompeio ad Frusinonis moenia inutili labore desudabant. Lanioio bellicarum rerum impari, & incertis consilijs, inter deferendam expugnandamque prope urbem negotia fluctuante; dum federatorum circumventus copijs manifestae cladis discrimini viam faceret. Quam tamen, et Pompeij solertia, & hostis negligentia, cui Rentzius Ceres praerat, levior reddidit; cum ille opportunam profligandi Lanioij occasionem milite tormentisque ad tutiora subductis, utcunque avertit: hic solam liberatam urbis gloriam contentus, praeterijt. Ita Cæsaris fortuna hac Italiae parte nutabat, atque in spem magnam victoriae erecti adversarij, quod alibi etiam Genua diuturnae obsidionis molestiam frangenda brevi videretur. Tamen quia res Insubrum partim optato successu tentatae fuerant, jamque Georgius Franisbergius cum quatuordecim Germanorum millibus ex Germania per Alpes Italiam subijt, audax

V

inque-

1526.

XIV.  
Pontifex  
inter flu-  
entia  
animo ca-  
silia suo  
denique  
milite Co-  
luniorum  
oppida &  
agros ho-  
stiter  
vastat.

Ferraris  
Ducem  
conciliare  
irrico co-  
natu ni-  
situr.

1527.

XV.  
Pontifex  
suis par-  
tibus fir-  
mandis,  
Vaudem-  
ontium  
e Gallia  
ad Nea-  
politani  
regni pos-  
sionem  
cum milite  
evocat.  
Jovius in  
Popeio.  
Guicc. l.  
17. & 18.  
Cochl. in  
vita Luth  
Surius in  
Com.

AA. Cht. inquietumque Borbonij ingenium magnoperè Clemens pertimescebat, ut inter pacis bellique cogitationes incerto ac pernicioso animi motu jaçtaretur, Casarianis spe metuque hominis inconstantiam alentibus; ne quicquam in alterutram partem solidè constitueret; dum rebus viribusque suis abundè confirmatis victo eas pacis leges imponerent, quas non præscribere; sed accipere teneretur.

XVI. Lanoius igitur imminens Neapolitano regno periculum discussurus, quantumvis Pompeio obnitente, Romam acceptâ fide contendit, Clementemque jam paci inclinatum novis obstrinxit federibus; quibus tamen Orator Casaris non nisi coactus assentiri est visus. Subindè Lanoius ex officio pacis legibus comprehenso, in Hetruriam profectus, Borbonij militem omni insolentiâ istic grassantem, Pontificiosque latè agros infestâ de populatione vexantem, compositurus, nihil egit apud militem rapinis assuetum, jamque ad lautissima Romanæ urbis spolia aspirantem: qui stipendiorum inopiam solâ prædaram libertate fretus sustinebat, neque Ducum suorum imperia tam acciperet, quam daret. Francisbergio quidem inviolata inter suos magni Ducis constabat dignitas; ut qui ad giganteum propemodum corporis robur, parem habilemque ad multa animum adferebat. Verùm talem tantumque morbus in via Romana occupatum, Ferrariæ in loculo deposuit, & momento iras ac laqueum, quem collo Pontificis Lutheranus homo, & inauratum quidem paraverat, facili victoriâ extorsit. Lanoij dein Borbonijque minor autoritas; tum quòd ære nudi essent, alendoque militi impares; tum quòd illius despecta bello virtus: hujus prodita Francisco fides, utriusque imperium vile contemptumque redderent.

XVII. Quare Borbonius audaci effrenatoque exercitu ad hostium, aut propriam ferociam infringendam usus, ab Alphonso Ferrariensium Duce commeatu abundè instructus, agris villisque Bononiensium expilatis, viâ Flaminîâ ad urbem rectâ incessit, Feltrio Venetorum Duce, & Michaële Salasso Gallorum Imperatore turpi facis latebrâ igitominiosoque timore sese occultantibus. Magnâ interim celeritate hostem prædamque occupandam miles ratus, tormenta etiam à Senensibus oblata neglexit, Pompeio ad Palianum annonam muralesque aliquot balistas procurante, omnium opinionem, festinato Romam itinere, prævertit, ac subeuntem ferius Feltrium fallens, urbis muris, pridie Nonas Maias, properè admotus est. Borbonius subjectam ex monte Mario civitatem à prædaram opulentiâ & mœnium imbecillitate promptam facilemque audentibus mercedem periculorum proposuit: cumque aliquam fatigatis militum corporibus quietem indulisset, illâ murorum parte, quâ Meridiem urbs spectat, tentatus à confertim irruentibus per scalas aditus est, prætorîâ Helvetiorum cohorte non segniter vim audaciamque irruentium, plumbo ferroque in hostes prompto refellente. Ipse Borbonius inter primos enixus, dum strenui magis Ducis, quam cauti munus implet, temeritatis pœnas luit, laudandæ fortitudinis miles, nisi cum eversâ fœdè Româ sacrisque impijssimè violatis cecidisset.

XVIII. Nihil hoc incommodo retardata militum ferocia; sed omnium suffragiis Philibertus Aurantijs ad imperium vocatus est; oppugnatioque, Hispanorum inde à Germanis occupata immeni barbarie, nullâ nec hominû nec sacrorû reverentiâ vastatur. præ-

Lanoius cum Pontifice stuantur sum pacificatur; sed invito Borbonio & Germano sub Francisbergio recens in Italia miso milite.

Borbonius hunc igitur ad Romam expugnam ducit Columniâ suffragante.

Urbs invaditur. Borbonio Duce corruente.

Roma hinc ab Hispanis,

præsertim ardore, per adjunctas muro casas invadentium, ad victoriam producta est. His nihilò remissiores Germani parte aliâ urbis munitiones ejecerant. Romanamq; in urbe plebem, sub vexillis ad defensionem collectam, tam immani truculentia aggressi sunt; ut projecta ad salutem promerendam arma ne supplicibus quidem profuerint, fugientes nec ipsa templi adyta sacrorumq; protegerit religio, sed inter aras Divum opem ac hominum miserationem implorantium ora ferro violata sint, facinore olim nec Gothorum quidem Vandalorumq; populis tentato. Neque inulcatis tantum crudelitate; sed & sacrilegiorum ac libidinum exemplis, ædes aræque Divorum contemperate sunt: expugnata virginum juxta ac matronarum, quamvis jurata Deo hominibusque, pudicitia; Principum ac Purpuratorum domus ferro, direptione, incendioque vastata, nulla, ne Legatorum quidem reverentia. Hispanorum hac in re non minus crudelitas acerba quam avatitia probrosa extitit, ut qui arcanas familiarum opes exquisitis in nobilissima etiam corpora supplicis indagarent, neque ab ipsis mortuorum sepulcris cadaveribusque rapaces manus temperarent. Germanorum furor in armatos maximè consumptus est: cum præsentibus deinde spolijs vino atque epulis acquiesceret.

Pompeius ubi post biduum urbem ingressus promiscuis omnia cædibus, miserabilique inter tormenta ejulantium ploratu completa spectaret, sui que ipse consilij immanitatem perhorresceret, lacrymas in tanta occumbentis patriæ calamitate non tenuit: doluitque; in columi Clemente, ad pœnam hostiliter quaesito, summam malorum in capita innocentis vulgi derivatam esse. Quare indignatione in miserationem versâ, omni quâ valuit autoritate, apud Duces militesque contendit, ut humanitati locus esset, aliorum pudori, aliorum vitæ ac libertati æquis conditionibus consulere. Ipse, præter laborem, nullis sumptibus parebat; ut hostili petulantia honestissimas feminas subduceret, Patresque ac principes urbis viros, & quotquot ultimo vitæ discrimine periclitarentur, à militum incuria vendicaret. Ita vulnera quæ fecerat, tanquam offensus filijs pater, adhibito deinde remedio utcunque curavit, dubiumque reliquit, plusne odij oppugnantis, an miserationis amoribus Roma deberet. Ad Pontificem deinde pacis federumque spe in arcem (quo se ille inter primos irrumpentium hostium tumultus receperat) admissus; ut erat severitatis miserationisque juxta capax, verissimis cum illo lacrymis funestissimam urbis turbataque religionis faciem, ac communem, quâ, ad sacrarum profanarumque rerum excidium, in se invicem grassarentur, insaniam deploravit.

Aurantio denique, Lanoio Vastioque ac Moncadâ Romam confluentibus, his legibus Pontifici liberior custodia constituta est, ut quadraginta nummum auroreorum millia furenti, stipendiorumque debita postulanti, militi partim exsolveret: & præsentem quidem arce decem millia jussus pendere, tam diu Cæsarianorum militum prædijs in arce custodiendus, dum illa exhiberet. Mox Neapolim aut Caietam, donec Cæsaris voluntas explorata esset, concessurus. Dedit, accepitque fidem Pontifex, militumque custodia sub Alarcone Præfecto, se cum tredecim Cardinalibus ex pacto commisit.

XIX.

*Pompeius  
Columna  
miseratus  
calamitate, cuius  
causâ  
dederat,  
omne studium ad  
innocios redimendos  
convertit.*

XX.

*Pontifex  
certis legibus ex  
arce deductus  
militum credit custodia.*

XXI.  
Miles La-  
noie &  
Vastio du-  
oicus ex  
cussis. il-  
ludis Pö-  
sifici sa-  
rioque.

Biblio-  
theca Va-  
ticana  
elades in-  
gens.

XXII.  
Casaris  
etiam  
re spreta,  
miles  
quicunq;  
wi & ar-  
to Ponti-  
ficem ad  
stipendia  
solvenda  
antigit.

Interea urbis quietem omni libertatis ac flagitiorum genere, trium diversa-  
rum nationum exercitus, duodecim Germanorum, totidemque cum Italis Hi-  
spanorum millia implebant: quos ubi ad imperium castraque extra urbem Lanouis  
Vastiusque revocare conarentur, à dissoluto militari vulgo seditiosis vocibus  
bellorum mercedem deposcente, uterque ad necem quaesitus, agrè tumultuan-  
tium ferrum evitavit, quòd neque opulentia spoliatorum, neque inopia militem  
pateretur quiescere, cum alios nimia, alios nulla præda ferociores reddidisset,  
vel in suis postulatuos Ducibus, quod in hoste non reperissent. Quare jam a-  
liud nullum præterquam de auro, admittebant consilium, adeoque legum Du-  
cumque excusso freno, suo quisque imperio vivere, nihilque sacri humanique  
revereri miles cœpit. Jam enim Lutheranæ hæreseos vitium non paucos Ger-  
manorum militum corruerat, qui sacro Purpuratorum senatui ipsique Ponti-  
fici omni contumeliarum genere illuderent, oratorium Pontificium equili a-  
ptarent, bullatasque literas equorum tergis subiternerent; Lutherum verò ad-  
umbrato Patrum senatu, fictaque suffragiorum imitatione Papam decernerent.  
Porro tantâ insolentiâ in nobilissimam Vaticanæ domûs bibliothecam grassati  
sunt, ut vel sceleratè perditis, vel avarè loco pretioque transportatis selectissi-  
mis voluminibus, damnum Europæ dedecrunt, omnium eruditorum lacrymis de-  
plorandum.

Neque Casaris autoritas ad tantam tempestatem sedandam valuit: qui, non  
fictâ simulatione, Romani Pontificis gentisque universæ calamitatem detesta-  
ri videbatur; ut quam neque suo ab impesio profectam diceret: neque prom-  
ptâ æris ac stipendiorum facultate posset componere. Quocirca datis etiam  
ad Christianos Principes, in primisque Anglorum Regem, cujus offensionem  
formidabat, literis, purgare vix auditum inter Catholicos facinus conatus est:  
negansque hujus se calamitatis autorem, Pontificem, inquit, primò adversum se infestè  
constitisse federa, & hostilia molitum, licet impensè ipse Romanæ Ecclesiæ tranquillitati sa-  
lutique studeat. Ad arma se pro Italia defensione provocatum, ostendisse jam armis etiam  
victorem, licet alijs ex Romana gente obnitentibus, quantum Pontificis deserrer honori,  
quando per Moncadam oblati sruu inducens ad libertatem posset. Verùm has repente corrup-  
tas odijs armisque in devocorum sibi Columniorum agros illatis, violatas: vastitate inno-  
centium subditorum tantâ, ad quam barbarus etiam hostis erubesceret. Nil proinde mi-  
rum, si hac provocatus injuriâ miles non expectato Casaris imperio, se etiam invito, quin  
& Ducibus plerisque renitentibus, invaserit urbem, prædas egerit, incluserit Pontificem:  
par esse, ut sibi suisque ea Clemens, non Casari imputet. Debuisset utique rueri fidem sum-  
mam Ecclesiæ Antistitem; ut hanc ceteris, non exemplo minus quam verbis suaderet. Tur-  
pe esse, ut qui reliquis autor pacis haberi velit, primus hanc violat. Nec ambigere se, quin  
justâ Dei voluntate hac in Clementem derivata calamitas ad injuriarum ultionem fuerit.  
Tantum nihilominus ex hac ad se victoriâ pervenisse doloris, ut victus quam victor haberi  
maluisset. Providendum igitur, quid in hac re consilij remediique ad pacis opportuna  
commodum sibi queat. Quod sibi hæc epistolâ ab amico Rege judicârit exquire-  
dum.

Ince-

Interea militum stipendia flagitantium importunitate victus Pontifex, hoc egit, ut ex sacris templorum vasis argenteaq; suppellectile cōflata pecuniā, tum purpureis aliquot Cardinalitæ dignitatis galeris pretio venditis, illorum cupiditatem utcunque componeret. Sed cum non menstrua tantum illi; sed annua militiæ flagitarent stipendia, nullis opibus efferatorum hominum avaritia satari poterat. Coactus iccirco Pontifex, auro deficiente, obsides exposcenti ferociter militi concedere opulentiores Principum, quorum neque spectata in Ecclesia dignitas, neque innocentia Barbarorum animos ad aliquam humanitatis rationem potuit inflectere. Cum in vincula, atque inde ad infames latronum furcas abstracti, atrocisque supplicij metu conterriti, vix denique Pompeij operā salutem in fuga repererint. Ita cum nec spes, nec formido cuiquam certa; quod neque Duces imperia darent, neque acciperent milites, Roma omnis libidinibus atque immanitatis theatrum extitit, illaque gentium domina jam sub devictarum quondam nationum iugo ac servitute squalibat: Lutheranis præcipua miseris ferocia insultantibus.

Inter hæc soluta in luxum luxuriamque corpora gravis pestilentia lues occupabat. Cæli etiam, ventorum cadaverumque noxâ afflati, iniquitas malum alebat vulgabatque. Gallici ad hæc exercitus per alpes Lautreco Duce transfugerunt, validaque confederatorum copia, haud dubie junctis viribus ad Clementem in libertatem vindicandum ad futura; ferocissimos animos ab extrema immanitate ad aliquam salutis & humanitatis cogitationem revocabant. Neque inani prorsus metu Romani vatis Baptista, nuper illam urbi calamitatem; nunc brevem militi ex præda fructum prædicentis voces excipiebantur. Jam diu communicatis Franciscus ac Henricus, Franciæ Angliæque Reges, consilijs Clementis apud Casarem libertatem per Legatos urgebant. Ejus vero certis legibus concedenda, Lanoio Carolus potestatem fecerat; sed, ut diximus, stipendiorum inopiâ efferatus conjuratusque miles, nulla Ducum audiebat imperia, atque ex capto Pontifice, & extremis periculis circumvento spem cupiditatemque suam alebat: donec internis pestilentia malis, simulque Lautreco successibus consternatus exercitus, animi ad mitiora consilia inflecteret, timorque optimus corrector morum, persuaderet, quod ratio & honestas non poterant. Jam enim Galli, præter Bosium & Alexandriam, expugnatâ feliciter Papiâ, tot nuper adversariorum viribus indomitâ, per Insubriam Romam se versus effundebant.

His ingentes sese Helvetiorum Venetorumque copia adjungebant. Florentini etiam, Mediceis ex urbe imperioque dejectis, pro libertate Pontificia arma sociabant. Andreas Auria denique maritimi belli Imperator, Gallicâ classe ad Delphini portum Hispanos mari debellaverat, victorque Genuam patriam ex Adurnionum Casarisque potestate ad Gallorum partes imperiumque transferat; ut terrâ marique Casariani, auctis & locorum & urbium accessione hostibus, longè impares censerentur. Igitur pridie Cal. Novemb. de Clementis libertate ita convenit; ut, præter supra constitutam pecuniam, decimo per Hispaniam

partem Pontifici certis legibus deferendam adigant.

V 3

Pon-

1526

Paulus  
Jovius  
histor. l.  
25. Guicci  
l. 18.

XXIII.  
Fecit lues  
es magnæ  
militum  
partem  
invadit  
Gallique  
victore  
ex Insubria  
exercitus  
accedentes,  
timor  
rem incutit.

XXIV.  
Itali Gal  
lu ad Pō  
tificem  
redimen  
dum jus  
si, justo  
metu Cas  
sarianos  
ad libe

An. Car. Pontificis, atque, in sacri belli praesidia collectum, Imperatori in presentes necessitates cederet: Mediolanensis ac Neapolitani regni iura Carolo per Clementem inviolata starent, Ostiam Veteremque urbem pignori loco acciperet. Cum inter hæc ad eas angustias res Pontifici familiaris domi coacta esset; ut afininis carnibus a vide vesceretur; Lanoio quoque Caietæ defuncto, Aurantius in regno succederet, Hugone Moncada, duri callidique ingenii homine, magnâ potestate omnia administrante: veritus Clemens, ne pacis decreta, mutatis voluntatibus duriora redderentur, ad purpuratorum Senatuum Neapolitanos aliquot proceres pretio adlegit, obidesque ex eodem ordine nonnullos reliquit, ut vel auro præsentis, vel obligata fide militum contumaciam inflecteret. Quo facto, operam consiliumque Pompeio suppeditante sumpto mercatoris habitu (ut vulgus militare, fortassis moram obicemque festinanti allaturum; falleret) noctis silentio arce atque urbe dimissus est, postquam menses septem inter barbaros, omnique, cum scelerum, tum morborum tabe corruptos milites, non sine ingenti vitæ discrimine versatus esset.

XXV  
Vastius  
ad exerci-  
tium re-  
versus,  
eum in  
Bononiâ  
semper  
Neapoli-  
tanum a-  
grum e-  
ducit.

Subinde ad urbem militemque Alphonfus Vastius, à quo nuper, flagitia atque immanitatem detestatus, abscesserat, se recepit; ut adversarum rerum terrore mitiores, ad imperium reduceret. Porro Lautrecus, liberato Pontifice, nova abs Rege consilia mandataque accepturus, exercitum per agrum Bononiensem, vicinamque regiones in hiberna divisit, Casarianis per Romanam provinciam regni que Neapolitani limites quiescentibus. Sed nec Auria quicquam momenti ad res Gallicas mari attulit, quòd dum, ambigua disceptatione, alii Sardiniam, Siciliam alii bello petendam contenderent, exorta tempestas consilia ac classem per diversos portus disiecerit.

XXVI  
Gallis  
Angli &  
salsique  
Casari  
bellum per  
faciales  
denuntiat

Sequentis demum anni exordia, quæ fuerunt octavi & vigesimi, Gallorum Anglorumque, ancipiti dudum studio pacis bellique artibus intentorum, animos denudarunt; publice enim per faciales bellum Casari junctis Italiae viribus inferendum denuntiant, quorum ille orationem, postquam explicatâ latâque fronte excepisset, oratores confederatorum, Anglico dimisso, custodia includit, circumventam perfide suorum in Italia legatorum immunitatem querit. Mox Foxius Lautreci Dominus auspiciam bello fortunam prosequi iustus, atque in Casaris militem regni que Neapolitani fines impetum convertere, nusquam obviis hostibus, per agrum Picenum, captâ Aquilâ, felicitis numinis omnisque urbe, ad ipsa Neapolitani regni viscera penetravit.

Jovius  
hilt. li. 25.  
& 26.  
Guicciar.  
li. 18. & 19.  
Belcar. li.  
19. & 10.

Imperatorius exercitus, illo rerum discrimine, Româ evocatus lustratusque duodecim peditum, unumque equitum millia, ex quatuor & viginti armatorum millibus censuit, ceteros autem luxu aut pestilentia absumperat strage per otium graviore, quam quisquam hactenus inimicorum in bello dederat; sed & turpiori, quod sine ferro, atque etiam per flagitium tolerata esset. Jam verò & pristinus ille animorum vigor inter luxum rerumque affluentiam mirificè hebetatus, nihil in milite ad pugnandum audaciæ reliquum fecerat: ut cum Neapolim contendentibus, haud procul Troiâ, Lautrecus prælii facultatem offerret,

XXVII  
Casaris  
exercitus  
vix mo-  
dia parte  
superest.

offerret, timidè illi noctis beneficio castra extra pugnae aeam subduxerint, majori praedae, quam gloriae tuendae cupiditate. Recepti ad regni metropolim Casariani, non multò post à Lautreco insequente, omnibus confederatorum copiis Neapoli obsidentur, ubi minibus praeliis, Aurantio Vastioque plerumque adversis, intra urbis moenia denique conclusi sunt.

Res Caesaris, inclinante fortuna ad exitium spectare videbantur; cum non paucae urbes, veteri Andegavensium memoriâ studiisque recurrentibus, Hispanorum ut ferebant arrogantiam detestatae ad Gallorum arbitria accederent. Classem etiam ex Liguria admovent Auria, ut pressam terrestribus copiis urbem, maritimis urgeret. Praeoccupare hoc quidem federatorum consilium Moncada statuerat, & classem in sinu Salemitano opprimere, junctis ad classarium militem veteranis Hispanorum mille; sed exploratorum diligentiam Auriani praemoniti, adscitis vicissim Sclopetariis classem muniunt, atque ultro in hostem occurrentem alto pelago proventi magnam à principio stragem edunt, cum unustormenti globus, à Philippo Auriae praetoria laxatus quinquaginta facile Hispanorum diserserit, pluresque etiam vulneribus debilitavit: pertinaeci cruentoque utrimque praelio conferta manus; sed victoria Aurianis denique relicta est; ita tamen, ut vix quisquam victorum sine vulnere discederet. Moncada Casarianae praefectus classi mari haustus occubuit. Vastius ceterique Ducum capti apertam hosti ad Neapolis obsidionem viam fecerunt. Tam arctis in rebus, imbelli multitudo exonerata urbs est, missique, qui Caesaris auxilium prope-re implorarent; sed intercepti illi, Lautreco summis quoque difficultatibus inter aquae pecuniaeque inopiam colluctanti, spem brevis victoriae auxerunt. Germani etiam ad regni Neapolitani praesidium, sub Henrici Brunsvicensis Ducis auspiciis, in Italiam traducti, postquam in summa rerum Cisalpinarum inopia, neque panis abunde, neque pecuniae reperirent, conversis retro signis, absque adversario discesserunt: ita duplicem Caesari in Italia exercitum, alterum copiam, alterum inopia perdidit. *Tam periculosa res miles est; ut neque egere nimium, neque abundare illum conveniat: immoderabilis tam rerum luxuria, quam egestate.* Denique Junio mense Venetorum classis viginti & duarum triremium numero Gallicis navibus adjuncta: ita circumfedit urbem, ut nullus oceano aditus, ad levandam obsessorum indigentiam, relinqueretur.

In hac rerum desperatione Casarianis inexpectata Andreae Auriae Genuensis Archithalassi accessio saluti fuit. Ille enim Pontificis pridem Gallicisque stipendiis conductus, cum nuper Adurnios imperiique rebus deditos Genua eiecisset, admissis in urbem Gallorum praesidiis, ubi patriae libertatem, insolentiam militari corrumpi opprimique, tum ad Savonam rei maritimae negotiationes transferri magnopere doleret, agrum hominis animum magnis Casariani Ducibus, quos in captivitate habebat, promissionibus tentarunt, atque etiam expugnarunt, ut hoc in bello Caesar plus captivis, quam liberis debere videatur. Haec cum pacta Carolus legatione ex Hispania confirmasset; eâ ratione, ut Genua sub Caesaris patrocinio libertate frueretur, & Savona pareret Genuensibus,

mutatis

1528.

Pugnam  
obsidionis  
est recep-  
tus Nea-  
polim.

XXVIII

Res Casar-  
is valde  
inclinata  
Genuen-  
sibus Gala-  
lorum

quoque  
parces Au-  
ria Duce  
extollen-  
tibus, qui  
mariti-  
ma pugnae  
victor

Moncadæ  
sustulit  
et Vastii  
aliosque  
Ducis  
cepit.

XXIX

Auria  
per captos  
Ducis  
Casari  
adjutus  
rem lap-  
sam resti-  
tuit.



An. Chr. mutatis Auria studiis, ut patriæ libertatis æternâ nominis memoriâ vindex esset, odium hactenus in Hispanos acerbè exercitum pari ardore in Gallos convertit, meritis deinde cum duodecim triremibus stipendia Cæsaris, Melphitano Principatu in obsequii gratiam delato. Quare Philippus Auria frater Neapoli revocatus, Caietamque appulsus Andreas, imperatorios Duces captivitate eximit, Cæsarisque militiam publicâ insignium commutatione profitetur; nec multò post Genuam delatus, portuque receptus magno exultantis patriæ gaudio Gallos ejicit, optatamque Genuæ cum libertate tranquillitatem reddit. Savonæ etiam Genuensium opes gloriamque æmulantis portum lapidibus ruderibusque impletum navium negotiationisque frequentiæ reddit inutilem.

XXX  
Gallorum  
miles  
forte &  
vice ver-  
sa, lue ac  
bello con-  
stitit.

Sed & superi quam nuper averfi, tam rursùm faventes pro fortuna Cæsaris pugnare visi sunt; siquidem tabifica lues tum ex luxuria, tum ex aquarum juxta putrescentium fetore concepta, adeo in fracta Gallorum corpora immaniter grassari cœpit; ut multiplicatis catervatim funeribus, morbisque in omnes divisis, vix mille peditum centumque equitum integri, armisque idonei superessent, qui & ipsi denique afflatis lue, pertinacissimæ obsidionis pœnas morte darent. Obsessi hostium torpore ac silentio provocati, cum præaltas Gallorum munitiones indefensas, sine noxâ, tentarent, in reliquias exercitus jam abitum meditantibus effusi, vix armis ferendis fugæque satis idoneos Averfam compulere, ubi ad ultimum averse fortunæ terminum, compulsi interceptique, aut carcere aut morte hæserunt. Sub hæc Capua, Puteoli, & Nola Gallicis præidiis infessa urbes, facile ab Hugone Maramaldo, Moncada substituto, ad obsequium fidemque Caroli revocatae sunt. Porrò Fridericus Cajetanus, & alter Boviani Dux Henricus, cum aliis quatuor, illustri familiae viris, securi ab Aurantio Neapolitano in foro subjecti, defectionem sanguine expiarunt. Sed Fridericus Caraffa Melphi Princeps, ac Simon Romanus contra Alphonsum Davalum Vastium, fortissimum Cæsaris militem, magnâ obstinatione Apulos Calabrosque, in federatorum obsequio constantes, propugnarunt, & ante vitam, quam arma posuerunt; quod honestam mortem turpi præferendam paci existimarent.

XXXI  
Antonius  
Leva pro  
Cæsare  
Papiam  
occupat,  
militique  
nova  
arte sti-  
pandia  
obtinet

Dum hæc in extrema Italiæ parte, ambiguo Marte, geruntur, Antonius Leva in subalpinis regionibus felici conatu eductis Mediolano copiis, Papiam invadit, Gallisque omnibus internecone deletis, occupat; cumque nulla stipendiorum, ad militem alendum, superessent præidia, edicto cavit; ne quis Mediolanensium domi suæ panem pinseret, aut frumentum molendino subactum inferreret, præter illos, quibus id juris certo pecuniarum onere indulisset, qui cum illi in modios singulos tres aureos numerarent, utramque equitum peditumque militiam inter extremas Italiæ calamitates, ad Insubiæ defensionem sustinebat. Quibus Cæsarianorum successibus magnopere territi confederatorum animi, pacis consilia, Pontifice Angloque apud Cæsarem imprimis contentente, agitare ceperunt. Confederatorum tamen in cisalpina Gallia copias,

Fani

Fani Paulini Comes, ex Francia cum quatuordecim millium exercitu allapsus, summo opere animo viribusque erexit. Ut Antonium Levam, octo tantum millibus vix fatis ad urbium defensionem instructum, aperto campo formidare non posset. Sed fecundas Gallorum vires, & velut ex ipsis cladibus renascentes fata demum adversa premunt, cum nullo bellorum successu Dux Genuam Savonamque ac demum etiam Mediolanum tentaret, donec & ipse in tanto rerum adversarum impetu ab Antonio Leva ad Landrianum, infelici praelio, victus captusque, unâ cum Chastillonio, Rongonio aliisque copiarum prefectis spem omnem defendendæ Italiæ, Gallis adimeret.

Eodem tempore, inter Carolum Casarem Belgarum Principem & Carolum Geldriæ ducem, gravissimum ac maximè diuturnum bellum pace Gorcomij finitum est. Quinquaginta illud facile annis inter utriusque partis fortissimos duces extractum Rossenio cum Meursij comite pro Geldro, Scenkio & comite Burano pro Belgis postremò depugnantibus. Medij utrarumque partium Ultrajectini, nunc his, nunc alijs, aut favebant, aut suberant, domesticis tributorum tumultibus deniq; in servitutem ac prædam utrorumque conjecti. Tandem, extinctis odijs, mutuis pacis vinculis ita sociati sunt; ut Geldriæ Dux Gallorum federibus obnuntiaret, Casarique æterno amicitiaæ pacto adhaeresceret, occupata à Casarianis oppida reciperet, eaque cum alijs Geldriæ Zutphaniæque possessionibus clientelæ titulo à Carolo, tanquam Brabantino Duce, Hollandiæque comite possideret. Sed virilis legitimaque stirpis herede destituta, ad Brabantinos utriusque sexus possessores transfirent; ita tamen, ut honesta inde dos feminis ex Geldro superstitis obveniret. Ultrajectina vero regio, cum Antistitis sui Henrici Bavari consensione, jurisdictionem omnem, præter sacram in Carolum Brabantiaæ Ducem & Hollandiaæ Comitem transtulit, Casarique Novembri Mense solenni sacramento est obligata. His pactioibus magna rebus Belgicis quies conciliata est, postquam omnia ex vnius potentissimi Principis nuru penderent.

Alijs hoc anno quoque regnorum accessionibus Austriaca familia, ad illam, quam omnes vident, nonnulli etiam invident, Europæ Principes, amplitudinem excrevit. Quamquam hæc, de qua modò agimus, felicitas ab insigni Christiana Reip. detrimento initium duxerit. Solimannus enim Turcarum Imperator, post occupatam Rhodum, animis opibusque elatus, exploratam oceano fortunam, terrestribus etiam copiis experturus centum & quinquaginta hominum millibus, sese in Hugariam effudit, cui Ludouicus Hugariaæ Rex adolescens, insigni quorundam Ducum arrogantiâ ac temeritate delusus, præsertim Tomoræi ex Monacho copiarum præfecti, sese ad vicum Mohatium objecit, cum sex & viginti Hungarorum millibus, ac regni nobilitate universa. Suadebant non pauci expectandas auxiliares sociorum copias, quarum Illyrici, Trnsilvani, Bohemicique nominis, propemodum justj exercitus singuli, jam regni fines ingressi fuerant; sed cum Hungari sprete Turcarum gente, solam victoriaæ laudem præmiaque, æmulatione Majorum, alijs præcipere festi-

X narent;

132.

XXXII

Bellum

diuturnum

inter Ca-

rolum

Geldria

Ducem,

& Ca-

rem, ut

Brabantia

Ducem,

denique

Geldro

sub hujus

clientelâ

conce-

dente, ab-

solvitur.

Haræus

in Carolo

XXXIII

Ludovico

Hungaria

Rege à so-

limanno

miserè pro-

ffigato,

Ferdinão

dux Austriacus,

Casaris

frater &

affinis Lu-

dovici,

ad regniâ

vocatur.

Jovius ia

Elog.

Ludovici

Isthuanf.

rerum

Hung. l. 9

Dubrav.

ia hi. Bo-

hem. l. 33.

An, Chr. narent: ea fuit, seu Ducum impericia, seu gentis cæcitas, ut Dravi fluminis transitum perquam difficilem hosti incustoditum facilemque relinquerent. Qui nihil moratus, Hungaros admirabili negligentia contemptuque omnia administrantes, sine pulveristormentorumque apparatu, in navibus relicto, sine ulla ordinis lege confusa equitum, peditum lixarumque multitudine, in acie stantes aggredditur, tanto hominum frementium ululatu, tormentorumque fragore, ut primo congressu exanimati Hungari, ante pugnam conspectumque vix hostem, inter fumum strepitumque armorum, turpi se fuga subducerent. Quæ res tam cæcâ reliquorum animos trepidatione implevit, ut de aliqua salutis latebra quilibet equitum circumspiceret: soli pedites suorum proditione hostium furori relicti, quem stando locum acceperant, moriendo tenuere. Ceteris, præter vitam, pristinum etiam gloriæ decus inter ignobilem fugam ereptum est: cum & multitudine, & celeritate Barbarorum, inter consiliorum itinerumque implicatas rationes facile occuparentur. Tomoræus totaque nobilitas, aut hostili gladio, aut Danubij aquis consumpta est, Rex ipse Ludovicus palude anno MDXXXVI haustus interiit. Præstantissimâ juvenis indole, magnarumque virtutum Princeps; fortior tamen feliciorque futurus, nisi majoribus animis, quam viribus pugnasset. Mariæ Ludovici conjux, Caroli Imperatoris soror, agrè Turcarum manibus subducta, Viennam tenuit. Solimannus ingenti prædâ apparatusque bellico ditatus, Budam deinde Regum sedem nullo negotio expugnavit: neque haud multò post, arce etiam fortissimâ neglectâ, deseruit, majori victoria famâ, quam emolumento.

XXXIV.

Joannes

Transil-

vanus ab

alijs ad

regnum vo-

catus, &amp;

à Ferdi-

nando ar-

mia pub-

lis ad So-

limannum

confugit

aque sa-

vestiga-

tam, si re-

stituerat-

ur, fecit.

Cochlæ.

in acta

Luth.

Surtius in

Com-

ment.

XXXV.

Acatho-

licis, Phi-

lipho Mas-

Mox divisis regnorum studijs; alij Ferdinandum Cæsaris fratrem Bohemiarum anno superiori inauguratum, cui Ludovici Regis soror desponsata erat, ad regni coronam evocant: alij Joannem Vaivodam Transilvanum Ciliæ comitem ad Hungarici regni scepra usurpanda admittunt. Ferdinandus & suis viribus, & aliorum favore potentior Joannem prælio ad Toccaium victum fugatumque facile, occupatis regni possessionibus, eliminavit. Qui cum frustra Sigisfrundi Polonorum Regis opem implorasset, Lasci Siradiensis Palatini exitiali consilio operaque, legatione ad Solimannum institutâ, ei se clientem vestigalique, perpetuæ servitutis onere, constituit, modò per illum armis in regni amissâ possessionem reduceretur. Grata hæc erat Solimanno oratio, quod ad Europæ possessiones & regna viam immensa ipsius cupiditati ostenderet. Accepto in fidem Vaivodâ spem fecit restitutionis omni armorum potestate abs se anno proximè insequenti urgendæ. Quâ refactum, ut Cæsar turbatas in Germania res, tranquillitate aliquâ componere, ad vires in Turcam colligendas, festina-

Erant hæc non levi cum religionis studio, tum bellorum impendentium metu convulsæ. Jam enim Lutheranæ factionis homines numero viribusque sensim auctiores, vim atque arma meditari, suspectare, ac moliri occultè omnia, ut eversâ quiete publicâ, quam ratione multis non poterant, bello hæresin suaderent; quæ anguillis similis, gaudet turbidâ. Natus ad hanc rem Philippus Halloworum Duce, bellum criminationis scilicet, Catholicis inferunt.

rum dominns inquieti audacisque ingenij, leviculam, ab aliena perfidia, oportunitatem acceperat, ut, in orthodoxos Principes ferrum occuparet. Georgius Saxonix Princeps Philippi focer, constantissimus Romanæ assertor fidei, domi suæ nobilem alebat hominem, Ortonem Paccium Lutheri opinionibus occultè depravarum. Hic, ut erat improbè prodigus, quiq; impares profusæ in luxum vitæ facultates possideret, flagitio eas, cum indultriâ non posset, ubique colligebat. Ergo hæresi simul inopiæque suæ consulturus, Principis sigillo, quo ex Cancellarij officio utebatur, literas obliquavit, quâ clandestinam Principum Catholicorum machinationem & sedus adversus Acatholicos complexus erat: quod, live inani suspitione, live malitiosâ fingendi libidine conceperit, factum prorsus ac commentitium, ut postea constitit, repertum est. Comprenderat, præter Ferdinandum Regem, Guilielmum & Ludovicum Bavariæ, & Georgium Saxonix Principem, tum Brandenburgicum & Moguntinum Electores, Salisburgi denique, Bambergæ & Herbipolis Antistites, conjuratione armorum sociatos. Philippus igitur cum Saxonix Electore, communicatis opibus, militem insigni tum celeritate, tum frequentiâ colligit, ceteris facti rationem consiliumque ignorantibus: quod per absentiam Cæsaris poscere atque explorare tempeitive non licuit, ut simul penè arma propositumque explicaret. Postquam delati ad se federis exemplum causamque bellorum vulgasset, negare illud omnes, fictamque ad injurias opportunè inferendas calumniam, asserere, autorem postulare fabulæ, & conspirationis idoneos testes: nisi faxit, Philippum suo se iudicio reuera agere, & turbarum autorem prodere: artificium hoc esse malevolorum, & publicæ tranquillitatis hostium. Hæsisse inter ea Philippum memorant, & sperasse à Paccio federis concepti prototypum. Quo frustra expectato, simulatæ offensionis plenum, vicinis Episcopis Moguntino, Herbipolensib, & Bambergensi arma intentasse, dum aliorum interventu centum aureorum millibus cladem redimerent. Tantus erat Catholicorum id temporis, dicam ne amor pacis conservandæ, an languor propugnandæ? ut immeriti pœnas dare; quam male promeritos armis animisque junctis, plectere maluerint. Qui si ea, quæ Paccius falso ausus comminisci, fortiter audere potuissent, brevi Germania bello, æternam bellorum materiem oppressisset: quorum modò, ut in neglectis primùm morbis, nullus nisi in exitio apparet exitus, calamitate ipsis etiam Acatholicis merito deplorandâ. Philippus, ut se perfidæ machinationis suspitione liberaret, Principum Legatis Paccium exhibuit; sed malignæ deinde fraudis convictum, jamque antea quatuor à se aureorum donatum millibus, suâ intercessione defendit; ut patriâ potiùs, quàm vitâ exularet. Quâ tamen protectione, live innocentem, live nocentem tuitus fuerit, non satis æquum tutorem se probavit: quod nocens exilio graviora, innocens leviora promeruerit. A Paccio etiam suspitionem malitiæ, vel in adversarios, vel in seipsum, tanquam autorem primum, amolitus est; cum remota ab illo culpa, in hos recideret. Eventu tamen compertum est, Paccium sceleratæ mentis hominem, digno Antvuerpiæ exitu, quadripartitum sectum flagitia cum vita absolvisse. Suevici po-

1528.  
Otonis  
Paccij  
perfidia  
tandem  
proditæ.

An. Chr. Ite federis Principes injuriarum Philippum accusabant, resque illa novis cruentisque obnoxia motibus videbatur, nisi & Palatini Principis curâ, & Cæsaris Regisque diligentia actum esset, ut dum gravissimus ab Oriente hostis Germaniæ immineret, domesticæ seditiones quiescerent.

XXXVI.  
Cæsar &  
Rex Gal.  
Franci-  
scus acer-  
bis se mu-  
tuo literis  
ad duellū  
provocāt,  
tempore  
parum  
oppor-  
tuno.  
Guic. l.  
18. Bel-  
car 10.  
Schleid.  
16.

Inter Cæsarem quoque ac Franciscum Gall. Regem adhuc inimicitia flagrabant, cum hunc & honoris & fidei suæ oblitum, duello ad contestationem veritatis oblato, Cæsar diceret. Acerbis iceitōd literis in Caroli nomen grassatus Rex, ita scripsit Parisiis. Illa coram meis Legatis jactare diceris, quæ ad vellicandam famam nostræ integritatem spectant, non ferendâ forti viro ignominia. Oblitus fidei datæ asseror, tuisque excessisse manibus perfidie reus. Equidem omni obligatione solutus fui, postquam transactione mutuâ præstanti fidem, fidem non haberes; cum eadē me amicum, quæ hostem antea, corporis custodia inclusum sepe seris, & libertatem absque libertate obtuleris. Quocirca si meam crimineris abiturum, siquid à me commissum contra viri Principis officium asseras, diserte ego te assero mentiri. Fixum mihi est, honorem atque existimationem meam cum vitæ etiam discrimine tueri. Et quid verbis armisque cum tot hominum excidio contendimus, nostro duorum, ad quem me provocas, gladio hanc litem dirimamus, duelloque quo postulas, experiamur utri causa & æquitas saveat? huic locum tempusque designa. Si congressum hanc differes, solisque in famam meam verbis debacchabere, totius ad te controversiæ turpitudinem pertinere declarabis. His Cæsar mense Junio Montifone per destinatum Parisios legatum ita respondit. Falleris, cum me tuum criminari abiturum existimas; dilatum accuso reditum. Nonne abs te juramenti fide confirmatum est, in meam te potestatem custodiamque rediturum, nisi sancita pacis legis impleres? Si negas, tuis evincam sigillis ac literis. Si concedis, ut debes, quomodo laudati te Principis officium implere asseris, cum in ea re fidem fallas, quæ & obligationis tuæ est, & potestatis? Affirmo, & sine mendacio quidem, turpiter abs te factum, & sceleratè. Et quoniam duello huic controversiæ absolvenda assentiris, conditionem accipio, locumque ad illud designo flumen, quod Tontarabiam inter Andeamque labitur, quem sanè recusare minime poteris: nam si & tuam, & obsidam liberorum ei salutem, ante biennium credidisti, nihil erit cur modo declines. Ne verò disceptatio morâ longiori differatur; mittantur viri nobiles, earumque congressionum non imperiti, qui de loco, de armorum genere, deque certo constituent tempore. Quòd si intra diem quadragesimum ab accepta epistola nihil responderis, dilationis in te residebit turpitudò, atque ad alterum non servatæ fidei crimen novum illud adjicies. His literis Legatus in Galliam profectus, atque ad Franciscum pro concione in procerum turba sedentem admissus est. Postulante Rege: an duelli adferret formulam? respondit, & asserere se, & præterea, quæ adderet, habere: petere verò, ut ex mandato Cæsaris, publicè ea sibi recitare liceat. Rex ad ea indignatus, negavit ab eo quicquam se, præter formulam provocationis admissurum. Quam cum seorsim detrectaret Legatus, memorant cunctantem Regem, neque publicè illum auscultasse, neque admisisse literas; sed verbis aliquot commutatis excessisse concione. Verène hæc, an falsò? non facile, in causa, affectionibus privatis obnoxia, definièrim. Hoc sentio, laudabilis duellum subterfugisse hos Reges, quam mutuis ad hoc odij inflammatos provo-

provo-

provocasse; ne quod in alijs offensionum vindicandarum genus damnarent; in se committerent.

His odijs bellisque dum Christiana jactaretur respublica, Turca hanc facile, tanquam imbecillum morbis corpus, oppressurus videbatur. Quare ea Caroli imprimis cura fuit, ut Germanorum dissidia utcumque componerentur, ne in dissipatam atque inutilem potentiam hic impetus verteretur. Spiram itaque indictis comitijs, Principes Ordinesque Idibus Martij anno hujus seculi nono & vigesimo convenere. Legati Cæsaris erant Ferdinandus frater, Fridericus Palatinus, Guilielmus Bavarus cum duobus Episcopis Tridentino & Hildeshemio. Aderat Elector etiam Saxoniae cum Melanchthone suaque factionis hominibus, magnâ frequentia. Utriusque partis studium hoc erat præcipuum, ut liberarum sibi urbium Legatos addiceret, quos proximo conventu ad federis confiliorumque communionem A catholicis provocaverant. Ferdinandus unâ cum collegis ut hanc conspirationem everteret, aliquot civitatum Legatos separatim evocat, & de neglecto Cæsaris edicto primum accusat: deinde ut ad reliquorum Ordinum sententiam adjungant sese, sedulo hortatur, ne forte hæc comitia animis Germanorum conciliandis instituta, graviore seditione dejiciantur. Illi neque se quicquam ad Cæsaris injuriam novi machinatos esse, neque legitimi Concilij judicium defugere asserunt. Ceterum omnia & Cæsaris & concordiae gratiâ cupere. Aliquot tamen Helvetiorum populi, Lucernates, Urani, Sutesenses, Untervaldij, & Tugiani, qui duabus potentissimis ejus nationis gentibus Tigurinibus & Bernatibus, ob Zwingliani schismatis infectionem maxime adversabantur, Ferdinando se Regi adjunxerunt. Legatus vero Argentinen-sium ob nuper abrogatum, contra proximi decreti leges, Missæ sacrificium, à confellu publico Concilij rejectus est, Jacobo Sturmio ejus urbis Senatore, ceterisque A catholicorum nequicquam obnitentibus. Denique hoc unius maxime partis consensione decretum: ut, quandoquidem ex nuperâ comitiorum sententia (quâ quisque ita se jussus est gerere, ut Deo Cæsarique factorum rationem probare possit) non pauci abutantur, & portentosa quavis dogmata Cæsari se Deoque probaturos improbe confidant. Nemo deinde quicquam mutare usque ad proximi Concilij definitionem audeat: qui Vormatiensi edicto obsecuti sint hæctenus, porro obsequantur, qui absque seditionis metu id modò nequeant: semel coeptis insistant, neque inconstanti novitate omnia confundant. Et cæna Dominicæ, ex veteri usu, & sacrificio Missæ sua constet autoritas, neque secus docentium disciplina admittatur. Passim sacrificare Catholicis ritu suo liceat, etiam ubi novum doctrina genus receptam est. Anabaptistis suo errori pertinaciter insistentibus pœna capitis constituta sit. Omnes, controversis de fide rebus pro concione abstineant, atque ex receptis Ecclesiæ interpretationibus Scripturam exponant, donec Concilij decreto hæc lis absolvatur: Religionis causâ nullum incommodum detur, nullius adversus dominum subditi rebellio defendatur: qui secus fecerint, proscriptorum in numero habeantur.

Adversabantur hisce legibus Joannes Saxoniae, Georgius Brandenburgi, Ernestus & Franciscus Luneburgi Principes, Philippus Hallus & Wolfgangus, ar-

restando his legibus adversantur. Postò Protestantes deinde sunt dicti.

XXXVII.  
Spiram  
biss in ca-  
mitijs no-  
va Ca-  
tholici  
Principes  
decreta  
consti-  
tuerunt.

Schleid.  
l. 6. in fin-  
ne Pon-  
tan. l. 2.  
reorum  
memor-  
rab.

XXXVIII.  
A catho-  
lici plerique  
contra pro-

X 3 que

An. Chr. que Anhalдинus. Causam verò dissensionis scripto palam exponunt. Standum esse conveniunt superioris decreto, quo suus cuique religionis usus ad proximi Concilij sententiam inviolatus constet. Facultates se quidem viresque omnes ad Cesaris obsequium dignitatemque collaturos, Dei tamen salutisque eterne rationem apud equos animos meritis præponderare. Notum esse, quo potissimum autore hæc in religione alatur dissensio. Conventu Noribergico, ipsemet Pontificis Romani confessione, fontem malorum in depravatis Ecclesia moribus repertum. Octoginta facile capita ab imperij Ordinibus Legato Pontificio oblata, quibus & vulnera & medicinam proponerent. Nihil emendatione seriâ curatum. Multis deliberationibus illum fuisse exitum, ut ad vitia erroresque abolendos Concilium fuerit semper postulatum, semper dilatum hæctenus. Quod verò præsentis decreto iubeantur solo metu seditionis semel constitutis insistere, id se probare non posse, cum nullo seditionis timore, verum conscientie religione suis in fide præceptionibus adstringantur. Pontificis se Missa locum dare non posse, quæ manifestis Scripturæ testimonijs jugulata conciderit, cœnaque à Christo instituta, atque ab Apostolis usurpata, cesserit. Quorundam verò doctrinam hoc tempore de cœna Dominica Christique præsentia, controversam prorsus hoc decreto excludendam damnandamque antè non videri, quam huius doctrine propugnatores in iudicio audiantur, Cesarique diplomate ac voluntate sententia postuletur, quorum utrumque etiamnum desideretur. Ad sacrarum literarum interpretationem, quod spectet: non perperam illam quidem ad Ecclesiam præscriptum sensumque exigi: sed in lite ac disceptatione id comprimis esse, penes quos vera hæc Ecclesia sit, ex cuius mente expositio Scripturarum petenda sit. Se interea dum hæc finiatur controversia, ipsi, Biblijs decrevisse insistere, atque obscuras illius sententias per alias illustres minimè quo dubias interpretari. Hanc certam prorsus atque indubitatam esse viam, quæ qui abstant, humanisque fidant traditionibus, debiti lapsuroque niti fundamento. Præsentis igitur decreto adversus proximum vim esse non posse, nisi quæ gravissimis turbis offensionibusque aditum sternat. Iam enim (quamvis Vormatiensi edicto suspensio hæctenus) nonnullos Principum, privatis sue ditionis hominum opibus animum manusque admovisse, manifesto futurarum rerum argumentis si denud nunc eadem sanciantur, visque in obtinentes exercentur. Quocirca fixum sibi esse superioris decreti rationibus insistere, neque admittere quicquam, quod Cesari iure possit improbari. De quietis publica studio, de abolendis iniurijs, de iniqua rebellium defensione, de Anabaptistarum secta coercenda, suum se officium minimè ignorare. Hæc protestatione illius sectæ Principes, quique illis adhererent, Protestantium nomine censeri cœperunt: vulgato denique vocabulo, ad novam Sectariorum factionem discernendam, quæ prima solet esse hæresum in Ecclesia subnascantium nota. Animos seditiosis auxerant multæ per imperium primi nominis civitates, quæ cum pleraque Sacramentariorum opinionibus infectæ essent, communicatis tamen consilijs sese adjunxerunt, quod licet hostilibus sese invicem prosequerentur odijs, adversus orthodoxam tamen Ecclesiam, quæ altera est hæresum affectio, conjuratâ perfidiâ conspirarent. Argentoratum erat, Noriberga, Ulma, Constantia, Rütelinga, Winshemium, Memminga, Lindavia, Campodunum, Heilbunna, Ilna, wisseburgum, Nordlinga, Sangallum; quas urbes olim religione florentes, sua denique libertas perdidit,

eam saepe possidentibus noxia, quam accipientibus iucunda; cum omnis obsequendi libertas in turpi plerumque vitiorum servitute amittatur.

Nihil admodum causæ erat, cur huic se potius decreto Sectarij objicerent, quam tot retrò comitiorum constitutionibus. Poterant eadem, quâ in ceteris decretis dissimulandi licentiâ, huic etiam liberâ transgressione illudere, nisi tot hostes Cæsaris, tot suæ factionis amici suspensam dubio metu audaciam extimulassent: hostilia tum demum profecti odia, cum pares his exercendis vires accipissent. Ceterum prudentibus *imbecillis nimium iste conscientia objecta clypeus visus est, ac frivole prætexta S. Scriptura ex Scripturis petenda expositio; ut si hætenus illa, vel SS. Patribus incomperta fuisset, ubi suis sese ipsa nodis expedit; vel ita sese illustraret, ut nullus maneret controversarum in fide post collationem etiam diligentissimam locus, cum Europa universa, non pugnantibus minus de Scriptura sententijs, quam de regnorum possessione gladijs dissipatur, & vix duo reperiantur, qui per omnes rerum credendarum articulos eandem ex collatis inter se Scripturis sententiam eruant. Ipsi nunc religionis mutatae antesignani, Lutherus & Melanchthon, manifestis inter se fidei articulis dissideant: ut hic in visitatione Saxonica, prodito etiam libello, præscriptisque in Sacramentorum administratione ritibus, ex voluntate Electoris Saxonici testatum fecit: in quo pœnitentiæ & bonorum operum studium, veteresque Ecclesiæ ceremonia præscribuntur, Luthero dissimulante, ne hominem sibi suisque conatibus adversantem sentiret. Verùm hæc frustra oggerentur ijs, qui à Patrum Ecclesiæque communi sensu, ad proprii capitis interpretationem versi, specioso Scripturarum titulo per diversa sententiarum spargebantur: dum quisque sibi sapere præ reliquis visus est. Imò ipse sibi tam dissimilis Lutherus esset; ut quod hodie ex Scriptura assereret, seque de cœlo cœrtum habere affirmaret, haud multò post, vel inconstantia animi, vel oblivione sui negaret ac destrueret; uti innumeris scriptorum antilogijs compertum manet: vixque hæresis deinde nata sit, quæ ipsius auctoritate non fulciatur. Quare & cum Melanchthone dissimulandum; & hic non minus inconstans, sibi cum Luthero, imò cum ipso etiam Zwinglio, ut postea constitit, syncretizandum esse sentiebat. Mollium proinde Lutheranorum Melanchthon chorum duxit. Quibus Rigidi sese Matthiâ Flacco Illyrico autore (qui ex Melanchthonis disciplina profectus erat) magnâ contentione objecere: ut jam post varias inter se dimicationes subnascentium sectarum Protestantes magis de concordia inter se, quam cum Catholicis stabilienda laborarent. Ferdinandus igitur spe conciliandi dejectus, se comitijs subduxit, quando ipsi ad Cæsarem, & futurum Concilium generale, subterfugendi solum decreti gratiâ, provocabant.*

Pullulabant inter hæc alia aliaque hæreseos, velut hydræ, capita. In quibus Gaspar Swenckfeldius è Silesia nobilis, scientiarum opinione elatus, qui scepticus omniumque medius, cum Anabaptistis puerorum baptismum, cum Zwinglio Christi præsentiam, cum Luthero plura damnabat, & veræ fidei sensum magis ex interno Spiritûs S. distamine, quam externo verbo, quod ambiguum esset, hauriendum docebat. Quem Lutherus vulgato scripto, tanquam obsellum à Diabolo morionem explosit, ac cum Sacramentarijs ad ultimam

1529.

XXXIX

Cur his  
positus,  
quam su-  
periorum  
comitio-  
rum de-  
cretis ad-  
versatis  
sint.

Cochl.  
& Ulleb.  
in actis  
Lutheri.  
Sunt in  
com.

Inconstan-  
tia & re-  
pugnancia  
Acaholia-  
corum in  
erudendis  
ex Scri-  
pturafidei  
articulis. Vnde  
de mira  
sectarum  
diversita-  
ta.

orci



An. Chr. orci regionem proscripsit, pari ab iisdem sententiâ proscribendus. Ita novi hi Evangelici aurem sibi invicem vellicabant.

XL. Pontifex tum ut hæresi & Turcis invalescentibus per Carolum potentius occurreret, tum ut Mediceis à Florentinis imperio dejectis, rectius consulere, pacem Barcinone cum Cæsare his legibus pactus est: *Alexandrum Medicum in pristina apud Florentinos dignitate collocato. Cerviam, Ravennam, Mutinam, Rhegium, ac Rubericam ad sedem Apostolicam Cæsar pro viribus reducit. Contra Pontifex his recuperatis Cæsari diploma, de justa regni Neapolitani possessione concedito, censuque omni remisso, nivei tantum coloris equi tributum accipito. Cæsar Francisci Sphortia causam iudicibus minimè suspectis examinandam committito, eique si innocens compertus fuerit, Insubriam reddito; si nocens, cum Pontificis arbitrio, de alterius successione decernito. Cum Ferdinando fratre vim omnem ad opprimendas hæreses per Germaniam exortas conferto. Denique cum Pontifice in Italiam Cæsar ad colloquium proficiscitor. Hæc à Carolo solenni juramento XXIX Julij stabilita sunt.*

Sub hæc, Pontifice atque Angliæ Rege moderantibus, pacis inter Cæsarem Gallumque ineundæ rationes susceptæ sunt. Hujus plena conficiendæ potestas hinc Margaritæ Cæsaris amitæ Belgio profectæ; inde Ludovicæ Regis parenti commissa fuit. Eodem illæ septimo Julij die Cameracum ingressæ, vicinisque exceptæ adibus, cum Belgico Francicoque senatu, Legatisque Angli & Pontificis in has denique pacis leges Nonis Augusti convenerunt: *Vt Cæsar jure sibi in Burgundia Ducatum, Comitatumque Auxerroanum, & vicina loca hætenus usurpato, acquiescat; redituque annuo mille librarum ex Burgundici Ducatus Salinis postulato cedat, uti vicissim onere omni tributario, ex Salinis Comitatus Burgundici Gallis debito, Belgij Principes liberentur. Rex pro redemptione filiorum Cæsari vigesies centena aureorum librorum millia puro auro exsolvat, præsentique pecuniâ ducenta millia, ante instantes Martij Kalendas, quibus filios recepturus sit: ducenta verò nonaginta millia Regi Angliæ Cæsaris nomine pendat. Revocet etiam ante filiorum libertatem, omnem ex Italia militem, Mediolanensis imperij jure cedat, & ad regni Neapolitani integram possessionem Cæsari opibus operaque subveniat; neque Italia Germanique rebus, præ ullo se Principe in fraudem Cæsaris immisceat. (quâ tamen obligatione se postea teneri non censuit, quò minùs ea, quæ materna jure sibi vendicabat, quæque occupabat Sabaudus, armis repeteret) Borbonij proscriptionem aboleat, liberis in paterna hereditatis successione admisis. Omni Rex jure ac prerogativâ, quam in Flandriam, Artesiam, Tornacum, Mortangam, Duacum, Insulas ac Orchicum usurpavit, liberè abeat: vicissimque Cæsar juri in urbes, ad Somonam amnem sitas, obnuntiet. Ducatum Bullionium à Cæsare Antistiti Leodiensi, contra Marcanos, adjudicatum, ne adimat. Philiberto Aurantio suum Principatum restituat, Carolusque Egmondus Geldria Dux, Cæsarique conciliatus, hoc federe comprehensus censeatur. Eleonora soror Caroli cum dote promissa regio matrimonio jungatur. His legibus pacem hanc toties à viris irritò labore tentatam, feminarum denique industria reperit; ut ceteris quidem, in hoc bello militiæ labores, mulieribus victoriæ præmia ac fructus Europa debuerit.*

XLII.  
Cæsar ex  
Hispania

Dum hæc Cameraci magnis consilijs studiisque agitantur, Cæsar, tum ex federis  
in Italiam cum exercitu ad coronationem proficiscitur.

deris obligatione satisfactorius Pontifici, tum Romani imperij coronas, veteri Imperatorum consuetudine, in Italia petiturus, ad iter se, post septennij in Hispania quietem acciagit. Susceperat ex uxore Philippum jam natum biennio Principem, hunc unâ cum conjugē, velut dignitatis amorisq; sui pignus, Hispanis reliquit, classemque, denis militum millibus occupatam, secum Barcinone solvens, quindecim dierum itinere Genuam, Augusto mense, deduxit; ubi duplici recreatus nuntio: altero pacem Cameraci esse absolutam: altero, Felicem Furstenbergij comitem octo Germanorum peditum millia, præter equites mille, suis stipendijs in Cæsaris gratiam conduxisse, intellexit. Tanto apparatu Italorum Principum animos magnopere Carolus perculit, qui jam Pontificijs regijsque præsidijs nudi, adversus potentissimi felicissimique Imperatoris vires, ne spe quidem, sufficiebant. Hinc amplissimis quisque legationibus Cæsaris, fidem atque amicitiam ambire cœpit. Soli Veneti, aut virium fiduciâ, aut pertinaciâ jam semel occupata retinendi, Cæsaris indignationem suis emolumentis posthabuere; Florentinorum verò ac Ferrariensium legatio, ne audita quidem à Cæsare est. Sed in Venetos destinatus, Antonius Leva, in Florentinos ac pontificij juris populos cum Valtio arma expedire jussus est. Et Veneti quidem mitiora denique Pontificis consilia secuti, amicum quàm hostem experiri maluerunt.

At Florentini post obtentam pacem Perusiam, & Aretium factioforum quorundam procerum obstinatione, ultimam subire belli aleam decreverant, quam amisâ libertate Mediceorum imperia tolerare. Verum, ut audacia sine viribus successu caret, longâ obsidione, ac prælio ad montes Pistorienses fracti, denique anno sequenti in victoris Cæsaris arbitrium concessere: nec aliam habuere voluptatem belli, quàm quòd suas inter strages hostium Ducem Aurantium viderint concidentem. Cæsar cum Mediceis suum urbi præsidium intulit, nec multò post, ex Clementis voluntate, Alexandrum Medices magnum Etruriæ Ducem pronuntiavit, traditâ illi uxore filiâ Margaritâ Austriacâ, quam Carolus quadriennio ante matrimonium, ex Margarita Vangestia Belgicæ nobilitatis virgine susceperat: non tam suâ, quàm aulici hominis illam sufficientis adductus levitate. Susceptam Margaritâ Caroli amita ac deniq; soror Maria cultissimis moribus imbuit; ut indole Austriacis dignâ labem qualemcunq; generis facile obliteraret.

Jam quemadmodum Pontificem Carolus Bononiæ convenerit, operæ pretium erit paulè disertius explicare. Priusquam ditionem Pontificiam subiret, Imperator Placentiæ substitit, & recepto Cæsaris more solenni verborum forma, ex cæremoniis libris petita juravit: *Nunquam se Pontificiæ Majestati & libertati vim allaturum*: Quamquam ex Antonij Levæ instructione subjiceret: *nihil tamen de suo jure decessurum*, quod Parmæ Placentiæque urbium, Insubribus olim debarbarum, causâ, additum perspicaciores existimabant. Hinc Bononiam delatus Cæsar, quo jam Pontifex, ut honore, sic tempore præcesserat, eximiâ, ac penè triumphantis specie, incredibili omnium ordinum applausu exceptus est. Paludamentum ipsè militaribus armis superfuderat, alboque invehit equo,

6129.

XLIII.

Florenti-  
ni, ceteris  
Itali ob-  
sequentia  
bus, sub  
jugum à  
Cæsare  
missi. &  
Mediceis  
gener  
Dux illis  
prepa-  
tur.

XLIV.

Bononiæ  
Cæsar  
post Pon-  
tificem  
splendidè  
ingredi-  
tur.

**An, Chr.** illustri Principum coronâ cingebatur. Umbellam auro distinctam præferebant literarum & Academiae Proceres. Equites suis turmis coloribusque distincti, peditatu sub signis insequente, præcesserant: prætorianæ cohortes, ac Hispanis, Belgis, Germanisque lætæ, croceis in sagis ponē Cæsarem, extremo agmine, incedebant; ita ad summam urbis basilicam proventus, in vestibulo Pontificem, inter Purpuratorum senatum, sublimes elatum sede, deprehendit, quem illustriori stipatus procerum catervâ pedes adiit, binis, ad imos gradus, ex sacro Antistitum ordine, deducendi Cæsaris gratiâ, occurrentibus.

**XLV**  
Duorum  
orbis ca-  
pitum ce-  
lebris con-  
gressus.

Verba  
Jovilib.  
hi Cor. 27

Omnium in se oculos duo maximi Europæ Domini, magnâ spectantium aviditate converterant.\* Explorabat enim quisque valde suspensus & tacitus, propter memoriam veteris dissensionis, & recentis amicitia, an ora ipsa interiores sensus nunquam ex toto fallentia, subitis illis affectionum & nutantis animæ momentis obedirent. Erat vultus Cæsaris in gestu militari & gravi, blandâ quâdam lenitate verecundiâque perfusus: Clementis verò facies, ita subito ad eius concursum exhilarata est, ut vel ob id maximè lætari crederes, quod illum multò humaniorem, & augustiorem, quàm putarat esse, conspiceret: varia liquidem ab Hispanis, & falsa quidem de Cæsare, plerique malignè retulerant; & multi etiam vltro trepidis animis propter acceptas tot inusitatas clades, sibi illum fingeant, uti alterum Ariovistum aut Rotomalcem, aliquo scilicet vultu Cimbrico & feritate Gothicâ metuendum, ac ipsius denique militibus ferociâ & spiritus immanitate persimilem, qui devictis & stratis tot hostium exercitibus, tot urbibus direptis, evastatisque provinciis, divina ac humana omnia, dirâ confusione miscuissent.

**XLVI**  
Caroli  
mores, hu-  
mannitas  
auctoritas  
continentia  
atque  
animi  
modera-  
tio.

Sed jam fuerat exceptus Genuæ, Placentiæ cognitus, Parmæ demum, Regii & Mutinæ cum summa omnis generis hominum gratulatione salutatus: utpote qui passim humanitatis, abstinentiæ, castitatis, atque iustitiæ monumenta, absque ullo vel superbiæ, vel crudelitatis, vel libidinis vestigio reliquisset. Enimvero, quo nihil est in Rege popularius, ac gratius aditū cunctis atque aures summâ benignitate & singulari patientia præbuerat, dederatque obiter responsa spei æquitatisque plenissima, quæ propositis postulatum capitibus sigillatim rectissimè responderent. Illam verò militum licentiam diurnâ impunitate confirmatam, iis, qui vel oblata rapuerant, vel ante diem arrogantes stipendiâ flagitarent, supplicio protinus affectis, ita represserat; ut illos, quod teneret longè omnium maximo, imperio dignissimus haberetur. Sed nec eum, quam ætate ac fortuna florentem, ullæ unquam vel illicitæ voluptates à perpetuis rerum maximarum consultationibus avocabant; ita ut in eo, simul juventutis decor eximitus, ad martiam laudem, emineret, & consilia senili maturitate propriis non alienis cogitationibus exquisita, elaborata, directaque manerent. Nunquam enim præclarum, nobile, & firmum eius ingenium vel irarum impetus perturbabat, vel cæca vindictæ libido pupugerat, vel ulla humana mollities, quin recta sentiret, expugnarat.

**XLVII**  
Formæ  
habitus

Erat eius vultus (ut hoc quoque curiosi minimè desiderant) argenteo & gra-  
corporis que dignitas.

ro quodam pallore dilucidus, oculi caerulei, suaves, nullâ acri severitate formidabiles, & ii quidem ad ingenuum pudorem virilemque modestiam instituti. Nasus è medio clementer affurgebat, quod magnitudinis animi signum in Persarum etiam Regibus ab antiquis fuit observatum. Mentum erat, ad exiguam venustatis injuriam, paulò prominentius, & quod gravitatis speciem addebat, subcrispâ & flaventi barbâ convestitum. Capillum verò fulgore pallentis aurî more Romanorum Cæsarum circumtonsum ostendebat. Porro statura corporis, ut in ipso ætatis integræ flore, & prosperrimâ valitudine, non ab inerti succo, sed à valido nervorum nexu longe firmissimus; per amplâ item robustâque manus ad stringendum ferrum idoneâ, crura autem venustissime extantibus toris, trunci proportionem directâ, quod tum maximè apparebat, cum equo veheretur. Tanto enim ei inerat, cum dignitate, equitandi peritia, ut nullus, eo armato atque equum incitante & in gyrum reflectente, vel pulcior, vel vividior, vel, in ferendo armorum pondere, patientior eques reperiri posse videretur.

Ceterum ad Pontificis pedes flexo genu provolutus, ac mox dextrâ læti, ardentisque Pontificis erectus ad osculum Hispanicâ Oratione \* Veni, inquit, Sanctissime Pater ad pedes tuos, quod summo voto semper expectavi; ut seseis Christianæ Reipub. rebus communi consilio succurramus. Oro Deum Opt. Max. qui me hujus voti compotem fecit, ut nostris consiliis adsit, atque hic adventus meus Christianis omnibus sit salutaris. Tum Pontifex, certè hoc ipso congressu, inquit, sicuti Deus immortalis & S. Cælites certissimi sunt testes, mihi nihil fuit unquam antiquius, etiam Superis gratias ago, quod te videam prosperè ac feliciter mari terraque perductum, resque eo deductas intuear, ut te autor & de concordia omnium, & solenni pace minimè desperemus. \* Obtulit subinde Cæsar auri signati circiter libras decem, deductusque est summâ comitate à Pontifice ad templi limen; atque ita digressis, Cæsar ad aram maximam Supplicaturus superis contendit; Pontifex verò in prætorium cum universo Sacerdotum ordine reversus est: nec multo post Cæsar, & ipse prætorium intravit, cui paratæ erant summæ ædium partes, ita conjunctæ pontificiis; ut inter unicujusque cubilia solus interesset paries, aditum præbente portula; ut cum vellet ignaris omnibus, remotisque arbitris, interdium noctuque de summis rerum negotiisque familiarissimè disputarent. Eo modo sæpe arcana sensuum, mutuâ & sincera animi libertate, detegendo, ac odiorum origines ad fatalem vim, & consiliariorum & Ducum insaniam referendo, facîle, divis bene juvantibus, viam invenère, quâ pax egregiè componi, & tot malis & funestis incommodis optatus finis imponi posse videretur \*

Valuit Pontificis autoritas plurimum ad Caroli animum in Florentinos concitandum: Sphortia verò Venetisque inflectendum, tanta, præter dignitatem, Clementi inerat vis, ad rerum gravissimarum excutiendas rationumque momenti ponderandas sententias. Ea porro etiam rerum erat Germanicarum ad hæresin, Vngaricarum ad Turcam inclinatio, ut nisi Ferdinandum patriasque

Y 2

Austri-

vis non sine gravi aris milita, conciliatus est.

XLVIII  
Saluta-  
tiones Cæ-  
saris &  
Pontificis  
mutua,  
privata-  
que col-  
loquia.

\*hucusq;  
Jovius

XLIX  
Pontificis  
auctoritate Cæsar  
Florenti-  
nis magis  
aversus,  
Sphortia  
& Vene-  
tis, quam

*An. Chr.* Austriacorum sedes, inter extrema pericula vellet destituere, deliberandum serio de Italia quiete videretur. Quare oblatâ Sphortia coram se purgandi facultate, quam frustra diu exoptaverat; cum ille admissus ad Cæsarem aut innocentia verâ aut audacter simulatâ fiduciâ, literas promissâ fidei ad pedes Caroli imperatoris projecisset, seque renuntiare eis, neque alio, quam causâ præsidio defensum velle liberè differeret, mirificè Cæsaris animum tenuit, faciliusque injuriarum absolutus, atque in amicitiam receptus est. Magno tamen pecuniarum onere jussus decennii tempore nonaginta auri pondo exsolvere, ex quibus, intra annum, quadraginta penderet; tum deinde Mediolanensi arce potitus integrâ imperii possessione frueretur. Quod tam liberali Cæsar benevolentia Sphortia indulgit, ut & novo diplomate Insubrum provincias illi adscriperit, & oblatâ in thalamum consanguineâ Christianâ Dania quondam Regis Christierni & Elifabethæ Sororis filia, cognationis titulo obstringi voluerit. Ceterum Venetis hac obligatione pax data est; ut Ravennæ ac Cervia urbium possessione abirent, cederentque Pontifici, juris, si quod esset, prerogativâ manente. Regni deinde Neapolitani finibus jussi militem abducere, & numerare Cæsari tria millia auri pondo, veteris potissimum federis rationibus debita.

*L.*  
Solimannus  
Joannem  
Transil-  
vanum,  
contra  
Ferdinã-  
dum occu-  
pata.  
Buda Ro-  
gam Hun-  
garis præ-  
fici, ac  
deinde  
Strigonii  
Archiepis-  
copi sedē  
invadit.

*Mithuæ*  
lib. 10  
Surius in  
com.

*LI*  
Germani  
inter hæc  
de religio-  
ne perni-  
tiose cer-  
vant, alii  
pæresibus

Eâdem tempestate seditiosa illa innovandæ Religionis studia atque immanitium Turcarum vis ac savitia extremis Germaniam periculis fluctibus perniciosè jactabant. Enimvero Solimannus cum ingenti exercitu Joannem Waivodam Vngariæ regno contra Ferdinandum præfaturus, omnia, vel suis viribus, vel nostrâ inertia ad ditionem pronahabuit. Buda, præsidio infugam effuso, hosti, præter arcem, patuit; hanc Germani defendendam susceperant, fortiori consilio, quam opere; siquidem, ubi suspensam cuniculis arcent igne sulphureo vertendam reformidarent, de vitâ magis, quam virtute solliciti, paciscendæ salutis occasionem flagitant, quamcumque arcis Præfectus Thomas Nadastus Vngarus constanter rejiceret, illo vinculis cohibito, à Solimanno impetrant, quocumque sua incolumitate pacti, Præfecto in vinculis destituto, Possonium discedunt; sed ubi militum perfidiam Nadastique virtutem Tyrannus comperisset: hunc, suis nequicquam stipendiis ad se invitatum, insigni humanitate ad Regem dimittit; illos in via occupatos jugulatosque violatæ fidei poenas jussit exolvere: tantum in Barbaro etiam pectore virtutis atque æquitatis ratio potuit, ut nec in hoste quidem perfidiam, quantumvis utilem sibi, inultam pateretur. Hoc lætus eventu, Joanne Buda relicto, ad Danubium armavertit, ubi Strigonium, munitissimam regni arcem, Vardani Archiepiscopi repidâ imbellique custodia malè defensam, non multo labore occupavit; juxta locis, pari terrore, immanissimi hostis potentia cedentibus.

Interea Germani totâ vicinia bellorum incendiis conflagrante, in summo imperii salutisque discrimine, internum etiam seditiosæ hæresios æstum mutuis concertationibus inflammabant. Jam enim divisæ factiosorum studiis, cum mul-

*Lutherum, alii Swenkaldium, alii Zwinglium sequuntur.*

et emulatione succensit hunc Evangelicæ doctrinæ magistratum ambirent, alii  
 ex aliis sectariorum exercitus nascebantur: paucis aut antesignani, aut novæ  
 religionis stipendiarii deerant: nonnulli ZWinglium aut SWenckfeldium; alii  
 Enthusiastas, aut Anabaptistas, desertis Lutheri vexillis, sequebantur. Et cer-  
 gè Zwinglius cum Oecolampadio, Caroloostadii vestigia legentes, vsque adeo  
 multis probabantur; ut præter Helvetiorum gentem Argentina, Ulma, Con-  
 stantia, Augusta, imperialium urbium haud sanè postremæ, Sacramentario-  
 rum hæresi, ab illis resuscitata egregiè faverent. Quæ Evangeliorum levitas,  
 & lubrica credendi libertas, florentibus eorum rebus, non exiguam cladem in-  
 tulit: cum livore odisque distracti, magnâ animorum acerbitate, sua invi-  
 cem denudarent vitia, calamisque ac linguis perfidiam exprobrarent; nec secus,  
 quam demissæ ex orco Furia in famam existimationemque, mutuis convitiis di-  
 lacerandam grassarentur. Nemo tamen omnium ita dissentiebat à ceteris,  
 qui non eadem, quâ reliqui audaciâ, ex Evangelio cœloque haurire se indubita-  
 tam prorsus fidem assereret. Prudentioribus tamen Sectariorum ea dissentienti  
 libido displicuit; quod ad conditæ nuper Religionis exitium hanc spectare  
 intelligerent.

Quare & Zwinglius, suarum partium metuens, de aliqua cum Lutheranis  
 societate ineunda sollicitus per Hassiæ Comitem Philppum nuper Lutheri, &  
 nunc suis faventem erroribus, vix tandem obtinuit; ut ad colloquium Mar-  
 purgi instituendum pertraheret Lutherum, gravissimè suis partibus adversan-  
 tem. Quo loco, cum, non tantum de Eucharistia, sed & originis peccato ac  
 Baptismi ad peccata abolenda virtute, aliisque Sacramentorum usibus dissi-  
 dent; visus est in omnibus ZWinglius Luthero, amicitia gratiâ quam sum-  
 mopere ambiebat, accedere, præterquam in controversia Eucharistica, ubi  
 ex illis Christi apud Joan. 6. Cap. verbis: *Caro non prodest quicquam*; tum Phycis  
 rationibus, quibus corpus sine dimensione ad locum negabat posse existere, ac  
 denique ex SS. Patribus *Sacramenta signa esse rerum* asserentibus pertinacissimè con-  
 tendebat; non aliter Christum, nisi significatione sola, ac fide credentium præ-  
 sentem exhiberi. Ita cæci mortales, qui in verba sacrarum literarum jurare  
 videbantur: cum ardua nimium, neque ad sensum exacta occurrerent, nullâ  
 religione apertissimas scripturarum sententias ad humanæ scientiæ regulas de-  
 torquebant: quod cum Oecolampadio seorsim Princeps Philippus objiceret,  
 asserens evidentiora videri Bibliorum verba, quàm quibus contravenire æ-  
 quum esset, cum gemitu optasse fertur, ut ante dextra ferro ablata esset, quàm  
 calamum ullum in hac controversia contrectasset. Certè Luthero neque dissi-  
 cilis, neque dubia ex divinis sanctorumque Patrum monumentis, disertè corpo-  
 ris Christi præsentiam astruentibus, victoria relinquebatur. Neque rationibus  
 ex possibili divinæ potentiaë re ductis, expugnari non poterant; cum & supremum  
 cœlorum absque loco consistere, naturali vi Lutherus ostenderet, & minoris re-  
 pugnantiaë speciem præferret, unum corpus exiguis diversisque locorum spa-  
 tiis includere, quàm ex nihilo tam admiranda rerum creaturarum simulacra educe-

Cochle-  
 us in vita  
 Luth.  
 Schleid.  
 lib. 6

LII  
 ZWingli-  
 us Lu.

sibi concē-  
 liare Mar-  
 purgen-  
 se congre-  
 ssum, illi  
 militare.  
 misit, in  
 cœna ta-  
 men, licet  
 victus,  
 cedere  
 noluit.

An. Chr. re; sed pudore cedendi metuque populorum, quos in hanc opinionem pertraxerant, suis erroribus pertinaciter adhæsere, quanquam amore concordiae spem faceret Zwinglius sententiae immutandae. Certis igitur legibus fedus amicitiaeque sanxerunt; at non multo post, mutuis rursus criminationibus subversum.

*III  
Anaba-  
pista in  
qualita  
Acaho-  
licorum  
unione  
intracta-  
biles.*

*Solimannus Viennam Austriae Imperii sedem oppugnans, a Palatio repellitur.*

Utramque hanc factiosorum societatem insigni impudentia, levitate atque insania dissentendi superarunt Anabaptistae, non minoribus aliorum objecti odijs, quam suis inflammati. Manifestum praesensque erat Germaniae exitium, usque adeo haec pestis animorum invaluerat, cuius jam neque certum genus, neque remedium supererat; cum quot corpora, penè tot morbi hominum: dum sua quisque cupiditate, velut humore depravato, infectus, vitium traheret. Accessit intestino huic malo tanto metuenda amplius violentia hostium, quanto imperij res erat afflictior. *Iam enim prostratum superare nulli difficile.* Nimirum Turcarum vis, uti potentior, sic majorem Caesari ac Ferdinando injecit curam: Solimannus namque rerum ad Danubium late potitus, cum millibus pugnatorum quadringentis Viennam Austriae imperijque praecipuam sedem petebat; cum defensores incolae suburbij incendio deletis, ne opportuna hostium receptacula fierent, imbellique religiosorum, feminarum, senumque ac puerorum vulgo urbe pulso, armatis eam cohortibus, sub Philippi Palatini ducis auspicijs implent. Ad exitum spectabat September, cum urbi exercitum Solimannus admoveret, tanta hominum circumfusae multitudine, ut a summis turribus nullus castrorum terminus spectantibus occurreret. Expeditam in cuniculis vim esse hostis sentiebat; ut proinde omnem huc conatum imprimis verteret; sed quae fuit obsessorum, cum vigilantia, tum industria, deprehensa hostium machinationes, oppositisque cuniculis subversa, spem animumque aliò inflexerunt, ut apertis simul viribus tormentorum, occultisque cuniculorum suffossionibus obsessorum virtutem experirentur. Fefellit hic astus Germanos, qui dum alteram urbis partem vi tentatam defendunt, aversa murorum propugnacula subito cuniculorum hiatu animadvertunt discedere. Nec mora, ingens Turcarum sese multitudo per ruinas mœnium infundit; sed audaciam alij post alios exitio luunt, tanta mortalium clade, Turcarumque velut in certam mortem impulsorum horrore, ut denique neque imperio, neque verberibus sese adigi in tam manifesta discrimina paterentur.

*IV  
Collecta  
Germanorum  
copijs Solimannus egreditur.*

Dum adeo praesenti universae Germaniae periculo ad unam urbem concertatur, Fridericus Palatinus in comitijs Spirensibus designatus exercituum, contra Turcam, Imperator, una cum Ferdinando Rege collectas, magno per imperium numero, copias Viennam contra Solimannum ducunt; qui, re cognita, vires Germanorum sustinere non ausus, incensis prima noctis vigilia castris, signa retro Constantinopolim vertit, sexaginta suorum millibus ingenti clade trucidatis, quorum Manibus totidem ferè captivorum millia inferias misisse dicitur, ne incruentam Christianis relinqueret victoriam. Ita insigni Germanorum, atque imprimis Palatinorum virtute celeberrimum Germaniae propugnaculum, & imperij sedes defensa est, quae semel in Turcarum manibus destituta, Danubius univer-

universus, ipsaque Germaniæ viscera potentiam immanitatemque crudelissimi hostis nequaquam evitassent. 1529.

Cæsar in Parmæ Placentiæque urbibus duos facilè menses versatus, priusquam Bononiam accederet, & Spirensis comitij eventum parum optatum, & Solimanni feliciter rejecti discessum intellexit. Nec deerant Legati Protestantium, qui provocationis à Ferdinando & Spirensi decreto ad Cæsarem profecti causas exponerent. Quibus, uti oraverant scripto, Cæsar responsionem, quamvis præsentibus obtulit, hoc ferè argumento. *Orta inter vos sententiarum varietas & mutua voluntatum distinctio per Ferdinandum fratrem jam antè literis explicata, quantum mihi cura ac doloris conciliet, non facile dixerim: quod ea & rerum, de quibus controversitur, sit gravitas, & temporum, in quæ lû incidit, difficultas; ut ingentia prospiciam Germaniæ pericula, nisi intempestiva illa novanda religionis studia, aut consilio, aut imperio moderemur. Hanc absens curam Ferdinando ceterisque Germaniæ Principibus sollicitè tradidi, quasi pro munere sibi imposto, aut Spira quicquam ad publicæ tranquillitatis bonum decreverint, aut jam antè VVormatiæ decretum exequendum duxerint; æquum erat, ut hîs Saxoniæ Princeps, vel suâ ratione, vel alienâ autoritate, vel denique causâ equitate persuasus sese adjungeret: nisi præter se alium neminem existimet esse, qui religionis, qui salutis, qui animæ suæ curam habeat. In hoc certè studio nihil me Saxoni concessurum prosteor, quem rectius facturum iudicem; siquidem in hoc negotio sanctissimis Majoribus suis, & tot alijs sapientissimis hujus ævi viris acquiescat, nec solus ad perversum unius Apostatæ ductum intentatam hætenus semitam calcet. Ceterum, quid ipsi assensusque faciendum sit, non isto rerum temporumque circuitu ex Cæsare tam anxie requirendum: jam dudum imperij legibus definitum est, ne quod major saniorque Ordinum pars suo arbitrio constituit, fas sit reliquos oblectando infringere. Legibus iccirco atque Imperatori pro illa, quæ utriusque tenentur, fide ac reverentia obtemperandum erit. Quod nisi fecerint, neglecta æquitatis autoritatisque Cæsareæ reos habebō, neque iusta animadversionis pœnam declinare poterunt. Hæc ipsa jam literis ad Saxonem perscripsi, quem fidem obsequiumque ante omnem pertinaciam habiturum sperem; nisi illam Turcæ Germaniæ incumbens immanitatem, aut non metuat ipse, aut domesticis etiam contentionibus provocare cupiat. Enimverò quid funestius imperio, atque ad eò Europæ universæ evenire, quid gratius Solimanno possit, quam mutuis offensionibus distractos Christianos offendere, quorum non opes modo & urbes, sed leges, religionem, fidemque eversum atque extinctam funditus desiderat? Quos si nec animis, nec armis conjunctos munitosque reperit, actum est, perire illud non modo imperij, sed & religionis nostræ decus Germanorum scelere, quorum virtute tam diu inviolatum constitit. Avertite hanc, obsecro vos, ubi licet præcipere, dissensionis flammam ab urbibus vestris, famam à nomine: & quod obsequentes decet, parete imperantibus, ne cum everisa tranquillitate omnia imperij religionisque nostræ decora per Europam intereant. Concilium, si aliter opinionibus consentire nequeatis, desuturum vobis non est: cum nihil perinde mihi cura sit, quam ut illa animorum distractio propediem corrigatur.*

Hæc Legati responsione nihil deterriti, ipsam, ut erat, provocationem, adhibita testium fide per Alexandrum Schweisium Cæsari exhibent, majorique auctore, & Ferdinando, tū verò maxime à catechesis Lutherana Cæsari obtrusa, graviter offendit

LVI  
Cæsar in  
Italia  
Protestan-  
tium le-  
gatos  
gravi or-  
atione  
perscripsit.  
Vide  
Schleida-  
num pa-  
rum di-  
scerepan-  
tem l. 7.  
initio.

LVI  
Appella-  
tio à Spē,  
rensi de-



An. Chr. dacia per collegam Michaëlem Cadeum Lutheranae professionis catechesin prodeunti ad eam sacram Imperatori obrudunt, causam scriptumque ignorant. Quam hominum proterva libertate summopere offensus Cæsar, Legatos, gravissimam capitis fortunarumque denuntiata penam, vetuit diversorio pedem efferre, dum Granuellani intercessione vix incolumes dimissi sunt, Cadeno ad incertum veniæ penæque exitum reservato, nisi fugam ille justam Cæsaris iram declinasset. Protestantes cum hanc Cæsaris offensionem ad suam perniciem spectare intelligerent: de parandis opportunè religionis vitæque defendendæ præsidij, consilia viresque conferunt. Cui rei facilius certiusque peragenda, Smalcaldiam omnes novæ religionis societate conjunctos evocant, ut armis opibusque collatis, sese adversus potentissimum hostem tuerentur: jam enim à clandestinis machinationibus ad vim apertam, tot provinciarum favore operaque adjuti, spectare cœperunt. Postquam non tantum ad superioris Germaniæ populos; sed ad Flandros Batavosque extremas Teutonici nominis gentes, ea perversarum opinionum pestis sese effudisset, nullaque edictorum severitate serpens hæresis, & promiscua ex sacris paginis sentiendi libertas cohiberi posset: flumini exundanti per similes, quod ubi semel perruptis aggeribus in campos sese effudit, nullis facile vallorum obstaculis ab effuso impetu retardatur. Quocirca evocatus in Germaniam Cæsar, ut gemino, eoque gravissimo, à Turcis atque Hæreticis impendenti regionibus, malo, præsens consuleret, in itinere Romanam destinato substitit, Bononiæ more antiquorum Cæsarum duplici coronâ inaugurandus.

LXVII  
Imperatores Romani tribus locis triplici coronæ, argentea, ferrea, & aurea coronari solebant.

LXVIII  
Carolus post ferream coronam acceptam ad auream insigni via progrederetur.

Harum, veteri instituto, tres, summi Europæ Imperatores, suscipere consueverant, primam argenteam regni Germanici, quam decennio ante Aquisgrani in amplissimo Principum senatu Carolus tulerat: alteram ferream (nam tenuis ferri lamina interiori parte cingebatur) regni Longobardici, sive Insu- brici, Medoëtiæ, haud procul Mediolano, tribui solitam. Tertiam denique auream augustali Romani imperij decore, atque honoris supremi prærogativâ eminentem. Hujus suscipiendæ dies constitutus est sextus ante Calend. Martias D. Matthiæ Apostolo sacer, idemque natalis Cæsarum singulari jam olim felicitate auspiciatus, quo celeberrimam illam ad Ticinum de Francisco victoriâ potitus fuerat.

Ferrea biduo ante in sacello Pontificis domestico, inter regalis apparatus insignia, ornatus erat. Hunc verò diem, ut cælo illuxit, serenissimum, totius penè Italiæ nobilitas, vel rarissimi spectaculi famam, vel officij postulatione excita, frequentavit. Urbs tanta, ac via præsertim, quâ Pontifex, inter Purpuratorum ordines, ac deinde Cæsar, ornatissimam procerum coronam septus, ad summam eadem incedebat, incredibili hominum multitudine obsessa tenebatur, ipsis domorum tectis sub pondere spectantium fatiscens. Nec minor penè Cæsarem incedentium turba pontem premebat, quem, medio suspensum aëre, ex prætorij fenestris, per forum obliquo tractu, templumque Petronianum ad summam

Jovius l. 27. hist. Bull. tom. 1. Clem. VII. Const. 28. Surius in Com,

mam aram, inter frondes variaque tapetium peristromata, perduxerant, quæ cum densatis ordinibus præeuntis Imperatoris vestigia calcaret, pons impar oneri hiscentibus tabulatis post Cæsarem sub prætorianorum multitudine subfidit, multosque non sine vulnere in terram deposuit. Imperator intrepidè ruinam contuitus, ad basilicam progressus est, ubi omnia ex Vaticani templi imitatione efficta, vultum alium nominaque acceperant; ut absens etiam Cæsar, Romæ haberet imaginem, & veteris instituti ritus locorumque appellatio, ex Pontificijs libris, usus maneret.

Ad aram primò maximam à Romanis presbyteris deductus Cæsar, sacerdotali in tunica Vaticano sacerdotum collegio adscriptus est, deinde sacramento, certis verbis concepto, Apostolicæ se dignitatis, legumque Romanarum defensore constituit, aureaque Cæsarium diplomata, Pontificiæ ditionis immunitates complexa, Rudolphi Imperatoris sententiâ ac liberalitate aucta confirmavit. Inde ad templi deductus limen, super dalmaticam Diaconorum vestem, paludamento indutus imperatorio, ad rotam Porphyreticam (medium illa Vaticanæ ædis obtinet) progressus, solemnibus precibus ritu, ibidem, atque ad aram maximam, expiatur. Unde à Farnesio sacri senatus Principe ad Sancti Mauritij sacellum deductus, diffusulata veste humeros brachiumque dextrum, inter consuetas apprecationes inunctus est. Quibus ex more finitis solenni Missarum sacrificio operaturus ad aram Pontifex, sacroque in habitu ministraturus Cæsar exordium faciunt, harmonicis musicorum concentibus, quâ voce, quâ instrumentis artificiosè interludentibus. Hic Imperatori ad aram supplici sceptrum aureum, nudatus gladius, pomumque ex auro formatum, ac demum haud absimilis tiaræ corona à Pontifice exhibetur: cuius deinde exosculatus submissè pedes, lateri sinistro paullum humiliore sellâ, accumbit, ac Romani Imperatoris titulis, publico vocum ærisque, cum bellici, tum campani applausu salutatur.

Absolutis sacris omnis repente procerum multitudo in equis conspecta est. Ipsi Pontifici equum conscensuro ad lavam Cæsar auratas pedibus inserturus stapedes erat; nisi obsequium Religiosâ modestiâ detrectasset. Junctim igitur uterque niveo investus equo, sub umbella procerum manu sustentata, inter gratulantis populi faustas acclamationes progressus, spectatissimam post se principum virorum turmam, auro gemmisque, mirifico vestium fulgore irradiantem, trahebat. Æmulatione quâdam, totius Europæ nobilitate, in illo honoris theatro de opibus ac dignitate concertante, ut ab omni retrò memoria, nulla unquam major illustriorque hominum multitudo vel in celeberrimi triumpho majestate unius urbis mœnibus comprehensa fuerit. Ante umbellam Montisferrati Marchio, illustri chlamyde & coronâ ornatus, sceptrum imperiale deportabat. Post hunc Franciscus Maria Feltrius Urbini Dux urbisque præfecturâ donatus, purpurea in veste, capitisque tegumento, in mitræ formam, defluentibus utrimque tænijs, composito, nudatum ensē stringebat. Deinde Philippus Palatinus Viennensi propugnatione, & nominis formæque dignitate clarus, ca-

1530

LIX  
Coronatio  
solennis  
ritusque.

LX  
Discessit  
à coronatione  
magistratus  
essentia.

An. Chr. Iari in purpura, pileo septemvirali, niveis pellibus præcincto, orbem aureum deferebat. Postremò Carolus Sabaudus Allobrogum Dux, cui in cetero habitu pileus, unionibus, smaragdus ac carbunculis irradians, eminebat, officij gratiâ, sublatum, tempore locoque, Cæsaris ex capite diadema manibus sustinebat. Inter hos Principes umbellamque medijs imperialis Quæstor, signatam imagine coronati Cæsaris, argenteam aureamque monetam, in confertam plebem sparsim effundebant.

LXI  
Cæsar digressus ad templum D. Dominici Lateranensis Ecclesie Canonici adscribitur.

LXII  
Augusta li mensa in pratorio excipiuntur omnes.

LXIII  
Dux Ferrariæ veniâ donatur. Mantuanus Dux creatur.

LXV  
Cæsar ad Augustanâ comitia discendit ex Italia.

LXV  
Augustana Confessionis libellus à Lutheranis conscribitur.

In bivio à Pontifice divulsus Cæsar ad D. Dominici templum concessit; ubi à Romanis Lateranæ Ecclesie presbyteris perquam honorificè exceptus, in eorundem collegium cooptatus est. Mox ad aram digressus, secundum preces, multos ex nobilitate equestris ordinis dignitate ornavit.

Inde ad prætorium mensamque incredibili apparatu instructam processit, ubi solus ipse eminentiori ceteris loco accubuit, quatuor viri, insignium præfecti, juxtâ humiliori mensâ recepti sunt; reliqui verò procerum alio teorsim triclinio magnificis epulis adhibiti sunt. Nec militari civilique vulgo suæ defuerunt epularum lauticiâ; siquidem bos integer versatili machinâ ad luculentum focum tostus, minori, eum hædorum vervecumque, tum diverso volucrum suffartus genere, partitim offerebatur: fontes præterea sub prætoriana manantes porticu, albi purpureique coloris vina sitientibus affundebant.

Peractis inaugurationis solemnibus, multi diversis honoribus à Cæsare ex officiorum obsequiorumque merito ornati. Dux Ferrariæ ad veniâ benevolentiamque admissus, Carpioque donatus est oppido, sexcentarum ex auro librarum repensò munere. Porro Fridericus Mantuanus Marchio: cum venientem ad se Carolum perquam magnifico honoris genere liberalissimè excoluisset, Ducis prærogativam ac titulum Cæsareo favore literisque promeritus est.

Ita, compositis per Italiam rebus, Cæsar unâ adhuc dum Florentiâ (brevis infringendo conatu) oblectante, in Germaniam reversus, antiquo Imperatorum honore illustrior, sese Augustam Vindelicorum properatò contulit; ut indicis à se ad octavum Aprilis comitijs, hæresios Turcarumque insolentiæ reprimendæ gratiâ adesset, suâque autoritate imperaret, ne irritis toties conciliandi laboribus fatigata, majoribus sese etiam difficultatibus implicaret Germania. Joannes Saxonie Elector fraternæ defectionis amulator egregius, ne parum unanimi dissensione cum Romanæ religionis hominibus pugnaret, Lutherum, Jonam ac Melanchthonem primæ suæ factionis capita, Torgam evocavit, ad quos Spalarino Islebioque adjunctis arbitris, omnem de religione controversiam referri toto imperio voluit, ut ex communi sententia de rerum credendarum articulis decernerent, Cæsari denique omnium nomine in Augustano comitio deferendis.

Lutherus calamum, reliqui etiam consilium adhibuerunt, brevique septendecim articulorum compendio, suas opiniones complexi sunt. Quo instructi scripto, cum Augustam præter Lutherum Cæsaris olim proscriptione imperio exclusum, Principis sui auspicijs, deducti essent, Melanchthon per otium, nondum

dum præsente Carolo, jussus est ruditer conceptam distributamque novæ religionis disciplinam, stylo, ad modestiam cultumque orationis majorem temperatè excolere. Quod ille, Lutheri asperitate nonnihil castigatâ, uberiorique in multis sententiâ industriè præstitit, tandemque famosum illum Augustanæ confessionis libellum excudit, quem cum ad Coburgensè castrum, ubi Lutherus speculator atque arbiter omnium deitescibat, Princeps misisset, probavit omnia, quamvis molliori, quàm Theologo conveniret, stylo tractata diceret; adjevit tamen illi, quo damnantur Sacramentarij, articulo hanc clausulam: *Et improbanus secus docentes*, quam Luthero extincto, Melanchthon non iniquus Sacramentarijs, resecurit,

Festinantem in via Cæsarem plusculum, remorati sunt magnificentissimi passim apparatus, quibus per terras Venerorum, Tirolensium, Boiorumque summa cum honoris benevolentiaque significatione exceptus est. Nec obsequio magis, quàm muneribus est cultus: in quibus si minus dignitate ac pretio, raritate certè eminuit nummus argenteus (Tirolensi in agro natus, oblarusque) qui 1700 æstimatione suâ æquaret aureos, Cæsarisque cum insignia, tum stemmata, singulari quâdam operis elegantia complexus esset. Ubi Augustam 17 ante Cal. Julias accessisset, effusâ Principum Ordinumque turbâ, Moguntinum inter Ubi-umque Septemvirum mediis, Ferdinando fratre, ac Campegio Cardinali Legato subsequenter, in urbem deductus est, postridieque omnes publicæ adesse supplicationi voluit, quam ipse, ardentissimo Sole, singulari pietatis studio, ac dignissimo Christiani Principis exemplo, obire conspectus est: aliorumque hac in re contemptum tam accepit graviter, ut plenus indignationis Lutheranae factionis Principibus, religionis suæ causâ, hoc officium detrectantibus, obnuntiaturus amicitiam, dissoluto conventu fuisset: nisi ceteri procerum, audiendam in comitijs Protestantium causam, ex edicti sententia, persuasissent. Concioniones tamen utriusque partis Sectariorum, publico Cæsaris decreto Augustæ sunt abrogatæ, pœnâ capitis in refractarios constitutâ. Et inter sacrorum solennia Elector Saxonie ex officio gladium Cæsari præferre jussus, consilio suorum Theologorum paruit.

Die Junij vigesimo, prima comitiarum habita est conventio: in qua nomine Imperatoris gravis oratio de scripto recitata ex more, fuit, in hanc sententiam. *Quantam Cæsar imperij hætenus quietè administrandi, motuumque per Germaniam, ex religionis dissidio subnascensium, tempestivè sopiendorum curam gesserit, docet illa VVormatia, sub prima electionis exordia, virorum principum doctorumque convocata societas, ad gliscensentem seditionis flammam in ipso semine opprimendam. Ex quo tempore cum illum Hispania deposceret: nequid per absentiam malorum invalesceret, Ferdinandum senatumque Cæsareum, sub FridERICI Palatini moderatione institutum, officio partibusque suis implendis suffecit. Quorum hoc in munere, neque diligentiam, neque fidem Germania desiderare potuit. Sed est, quod vehementer doleat, omnem vigilantia atque industria fructum multorum simultatibus turbulentisque machinationibus interceptum; neque tantum æquisimi magistratus humanitatem ac studium ad communem Reip. tranquillitatem*

1530.

LXVI  
In via Cæsaris  
Augustæ  
splend. ad  
Cæsarem ex-  
ceptus,  
hic sup-  
plicatione  
indixit,  
quâ Lu-  
therani  
fugerunt.

LXVII

Oratione  
publicâ  
causâ ad-  
ventus  
Cæsaris  
exponit-  
tur.  
Goldst.  
Cous.  
Imp.  
tom. I.

Ad. Chr. quantum ad intestina odia exitialesque universæ Europæ seditiones, perverforum hominum artes, valuisse. Animadvertitis opinor quanta, quamque perniciofa ac diuturna cervicibus nostris, hinc ab immaniſſima Turcarum tyrannide; inde ab infelici Sectariorum novitate ac diffensione calamitas immineat. Iam hostes Christianorum jurati præcipua Europæ propugnacula, in oceano Rhodum, terra Strigonium, vicinaque loca, suis armis nostrisque contentionibus ad victoriam uſi, inſederunt. Impreſſa, non tantum Vngariæ; ſed & imperij caput, Austria truculentiffimi hostis plena sanguinis incendiorumque, atque extrema crudelitatis veſtigia retinet. Viennam inter ſui jam Solimannus imperij numeraret munimenta, miſerrimamque ac morte ipſâ deteſtabiliorem veſtris capitibus, liberis, conjugibus ſervitutem machinaretur tyrannorum ſeviſſimus: niſi paucorum virtute ac conſtantia, dum plerique de religione litigant, non modò religio; ſed & vita omnium extremis periculis circumventæ, in ſpem aliquam libertatemque aſſerta fuiſſet. Reſpiraviſtis nunc, ita Divi volentibus, neque iſtam contentionis inſaniam, quâ Majorum veſtrorum fidem temerè ignominioſèque exſcinditis, inſami (quod parum aberat) exitio luſtiſtis. Quem rerum eventum, uti optimi quique vobis favent, ſic non vano timore formidant, ne & ſuis elatus ſucceſſibus, & veſtris ſeditionibus provocatus Turcarum Imperator, ad deſerta propediem monia, viribus, ferocia, atque indignatione inflammatus redeat, inſigni aliquo facinore acceptam nuper repulſa ignominiam vindicaturus. Pernicies certiſſima Germania imminet, & nunquam diſcutienda bellorum tempeſtas, niſi iſtam in rebus divinis credendi licentiam, ad Apoſtolicæ veteriſque Eccleſiæ leges revocetis, neque tam deformia religionum monſtra, ad æternum Germani nominis dedecus, ex ſacro Bibliorum codice, ad cujuſlibet ingenium ſicò diſtorſtoque, malè procedatis. Aeterna hæc ſunt, niſi occurramus; ſeditionum ballorumque ſemina, quibus divulſa inter ſe diſſipataque in diſſidentium partès Germania, ſuo ſe ferro conſumat, alienisque gentibus, invicta hæcenus natio, in prædam ultimamque ſervitutis ludibrium diſtrahatur. Non enim eſt, quod ſibi quiſquam perſuadeat, rerum divinarum opinionibus adverſantes ſibi homines, diu in humanarum legum, paciſque communionis conſenſuros. Quare, cum in VVormatienſi olim concilio, operam Caſar locaverit diſcordiæ componendæ, hucſque quorundam obſtinatione, prorſus inutilem, ultimum nunc iterum conatam additurus redyt. Poſteſtatem cuique facit, ut ſententiam ſcripto comprehenſam exponat, quâ inſpectâ Caſar rectius facilituſque ex communibus imperij emolumentis ac ſalute publica, pro ſuo in ſubditos ſtudio, & in patriam amore, poſſit ſtatuerè, ac tam pernicioſam contentionem, optatâ tranquillitate abſolvere.

LXVIIII  
Legatus  
Pontifici-  
cius bre-  
viter  
ſultam  
Germani-  
orum  
diſcordiæ  
in religio-  
ne coar-  
ctavit.

Quatriduo poſt Legatus Pontificius Campegius oratione Latinâ, & Caſaris voluntatem laudavit, & hortatus Principes eſt: ut ſædum religionis diſſidentium, cum tanta ſui nominis labe, & Reip. pernicioſe ſuſceptum deponerent, nec paucorum, inſanæ ingenij affectionisque vitio, diſſidentium opinionibus, contra Europam, atque aded antiquitatem univerſam adhæreſcerent: tutiorem viam eſſe, tot prudentium, ſanctorumque, cum Majorum noſtrorum, tum equalium tritam veſtigij. Neque ſibi tantoperè illo Evangelici, quem affectent, nominis titulo blandiantur, quo omnes olim heresum repertoſes & patrones, jamque etiam tot diverſæ Sectariorum turmæ certatim triumphent: ut proinde quod in patrociniū cauſæ nomen accerſant, invidiam ſuſpicionemque erroris maxime conciliet: conſultè facturos, ſi à tam periculofa novitate maturè animum ad ſaniora, & tradit

tradita à primis in Germania religionis Christianae sectatoribus placita, revocent; ne ipsi-  
dem, quibus Orientis olim imperium, abortis sensim post haereses tenebris miserè excacen-  
tur: difficilem enim esse ex inveterata morborum malitia ad sanitatem viam, procli-  
vum ad interitum.

Post Campegium Austriacæ ditionis auditi Legati, à Cæsare, atque imperij  
ordinibus, subsidiariam contra Solimannum opem orantes. Denique Prote-  
stantium, quos in Spirensi comitio recensui, Principes fidei suæ confessionem,  
Augustanam à loco dictam, Cæsari offerunt, obnixèque contendunt; ut in pu-  
blico omnium comitio recitetur. Vix tandem pertinaci obstinatione id obti-  
nerunt, ut in privato Principum confessu, Ferdinando ac Cæsare audientibus,  
legeretur, quæ vernaculo deindè Romanoq; sermone concepta unà cum Princi-  
pum suppositis nominibus Joannis Electoris Saxoniae, Georgij Marchionis  
Brandeburgici, Ernesti ac Francisci Ducum Luneburgicorum, Philippi Hassiæ  
Comitis, & Wolfgangi Anhaltini. His Noribergæ ac Reutlingæ civitatum  
nomina, nec multò post Campoduni, Heilbrunnæ, Weinsheimj, & Weissenbur-  
gi accessere. Denique, nisi controversia finiri presentibus arbitris posset, gravius se  
Concilium promissum decretumque toties minimè defugere asserebant, cui suas se opinio-  
nes minimè dissiderent probaturos.

Hoc scriptum cum antiquæ religionis Theologis esset exhibitum, animad-  
versum est, multa à Luthero ejusque sectarijs vulgatis antea scriptis jactata,  
hic esse silentio præterita: Ut, quoddam liberum arbitrium sit titulus sine re. Deus  
per homines operetur scelera, ipse autor. Romanus Pontifex Antichristus sit. Omnes ex  
aquo viri feminaque sacerdotes habeantur, nullumque maneat externum in Ecclesia  
sacrificium. Matrimonium civilibus contractibus adscribendum, & à Magistratu po-  
litico dijudicandum sit. Quæ de re Cæsar edoctus, Legatos rogatum mittit: an  
omnia complecteretur eorum confessio, quæ proponenda ducerent; Ad hanc quæstio-  
nem, cum perplexâ consiliorum ratione hærent; post difficilem satis deli-  
berationem, respondent: in propositis se modò articulis acquiescere. Quare cœ-  
pta à Joanne Fabro in primis Ecclesieque confutatio est, paucisque diebus in sa-  
nas, erroneas, contradictoriasque sententias distributa; nec sine acerbitate, ubi  
rerum indignitas postulasset, exarata est. Sed hæc verborum acrimonia tan-  
quam acetum futura in vulnere, aut in læsis Sol oculis, cum aliena à pacis consi-  
lijs visa esset, plusculum ad illam asperitatem mitigandam stringendamque cer-  
tâ brevitate confutationem temporis insumptum est; ut jam non obscure Ca-  
tholicorum silentium ad palmam victoriamque suam Protestantes detorque-  
rent.

At dum Præana canunt, responsio adfuit, lectaque eodem loco est, quo adver-  
sariorum tabulæ. Quæ evolutâ Fridericus Palatinus adjecit. Pro comperto habere  
Casarem confutationem hanc verè solidam Christianamque ipsi inniti sacrarum literarum  
rationumque fundamentis, quæ nullis subverti adversariorum machinis possint: hortari  
proinde Saxonem, reliquosque collegas, ut sua Ordinumque ceterorum sententiæ, pacis sa-  
lutisque gratiâ, subscribant. Qui re per secessionem ex more deliberatâ, scripti il-  
lius

1530.

LXIX

Legati

Austriacæ

subsidiū

contra

Turcam

rogant.

Protestan-

tes suam

confessio-

nem offe-

runt.

Qui

confessio-

ni Augu-

stano sub-

scripsit.

runt.

Schleid.

1.7. Su-

rius in

Com.

Cochl. in

Luth.

LXX

Quæ in

Confessio-

ne assi-

mulatæ

sunt.

LXXI

Responsio

Catholi-

corum, &amp;

ad pacem

invitatio

irrita.

An. Ch. lius sibi copiam fieri postulant. Quæ cum Imperator, aut ad vicariæ confutationis meditationem: aut certè ad ludibria & sannas petulantium hæreticorum referri videret, ne lis mutuis calammorum disceptationibus inutiliter traheretur, aut protervè in risum verteretur, communicare cum illis aliâ lege noluit, quam ut illis privatim tantùm serviret; neque ad aliorum manus aut typos transfret. Sed cum Saxo magnoperè pro scripto, absque ullâ obligatione, permittendo contenderet, à Cæsare in sua voluntate obfirmato, nihil obtinuit: qui *audita sententiâ acquiescendum, neque perpetuis disceptationibus res certas, omnibusque retrò seculis probatas, nullo fructu exagitandas diceret: veritatem nunquam sine hoste, mendacium sine tutore futurum: litium controversiarumque modum non fore, ubi pertinaciâ magis, quam ratione pugnatur.* Hasius cum frustra tentasset Zwinglianorum caussam, (quorum impia de Eucharistia sententiâ, post Marpurgensè colloquium, favere non parùm cœperat) cum Lutherana conjungere; ut junctis viribus rem firmiùs adversus Romanos agerent, indignatione in Cæsarem plenus, improvisò urbe excedit. Quâ insolentiâ non mediocriter offensus Imperator, ceteros Principes monuit: *ne concordiam à se tanto questam opere tam indignis divulsionibus interturbarent: summam rem agi, ubi de religione innovanda sit questio: hanc, & rationes salutis publicæ, & privata complecti: ad hujus motum quietemque nutare ac quiescere imperium: non posse hanc columnam everti sine magna Ecclesiæ ruina.* Huic malo tempori occurrendum, laborandumque sedulo, ut in fide veritas, in imperio pax & tranquillitas reperiat.

Paucioribus deindè negotium datum est, qui utriusque partis contentionibus præessent arbitri. Hi, cum indè pro Catholicis disleret Joachimus Brandenburgi Septemvir (cui Melanchthon Pericleam facundiam tribuit) indè pro Catholicis Georgius Pontanus; id denique, post exprobratos mutuò errores, constitutum est, ut septeni utrimque delecti aliquam conciliandi dissidentium opiniones viam inirent, inter quos hinc Eccius, indè Melanchthon Theologorum præcipui, ex quorum deçisionibus pleraque agerentur: eòque tandem sedulus utrarumque partium labor recidit, ut in nonnullis faciliè concederent Romani, *morum defectus in orthodoxam quosdam Ecclesiâ irrepsisse, suo etiam calculo emendandos. Permitterent etiam Lutheranis sacerdotum jam nunc contracta connubia, ad futuri Concilij sententiâ remittenda.* Contra Lutherana confessionis articuli, in quibus disceptationis cardo versabatur, eò demùm redigebantur; ut ex viginti articulis doctrinæ summam continentibus, quindecim conciliatos crederent, staretque etiamnum, *de partibus Pœnitentiæ, de confessione, de fide, & operibus, de cultu Sanctorum, de Ordine Ecclesiastico, de ritibus, alijsque nonnullis, sub abusuum titulo recensitis, controversia.* Quanquam de jurisdictione Ecclesiastica ad Episcopos revocanda pertimax Melanchthonis opinio socios in eandem cum eo & Catholicis sententiâ jam inflexerat; nisi Lutherus importunis sectariorum per urbes passim debacchationibus (qui Episcoporum juga suis cervicibus excussa volebant) incitatus, omnia mandatis suis retractasset. Undè ad Camerarium tuum quinto Sept. his verbis scripsit Melanchthon, *Ego optimo animo semper putavi ista concedenda esse. Quo enim*

XXXII  
Lis Ar-  
bitris co-  
missa est,  
Et in ple-  
rius, con-  
roversijs  
cõpõsita,  
Luthero  
contra  
Melanch-  
thonè ve-  
hementer  
excandea-  
scendo,  
praecorimò  
ob ad-  
missos E-  
piscopos,  
quis vul-  
gus a-  
versabas  
147.

nim jura nobis licebit distolvere politicam Ecclesiasticam, si Episcopi nobis concedant illa, que aequum est concedere? Et ut liceat, certè non expedit. Semper ita sensit ipse Lutherus, quem nulla de causa quidam, ut video, amant, nisi quia beneficio ejus sentiunt se Episcopos excussisse, & adeptos libertatem minime utilem ad posteritatem. Qualis enim, cedo, futurus est status ad posteros in Ecclesia, si omnes veteres mores sint aboliti? & nulli certi sint praesides? Lutherus his animadvertis, per literas summopere contendit: Nequi sibi invicem adversentur; itaque demum concludit: Satis est, ego penè rumpor irâ & indignatione. Oro autem, ut abruptâ actione desinat cum illis agere. Quod denique etiam obtinuit.

Melanchthon verò, cui tota controversiæ moles inter istos, cum amicorum, tum adversariorum impetus præcipuè incumberebat, conscientiam factorum ingentem animi interorem nequaquam dissimulante, lacrymis quotidianis squalibat; ut Brentij aliorumque collegarum oculis easdem nonnunquam excuteret, quemadmodum suis ipse ad Lutherum literis testatum reliquit. Cum magna controversiæ pars, ut erat composita, Principibus exhibita esset, placuit de reliquorum articulorum confessione inter pauciores hinc atque inde ternos experiri. Sed res eodem vestigio constitit, suæ, utriusque partis hominibus, sententiæ pertinaciter inhaerentibus.

Ita hæc deliberatio parum felicem exitum, Augusti mensis fine, consecuta est. De qua re, cum apud Catholicos primùm ordines Cæsar dolorem suum vehementer quereretur, fortunarumque ac vitæ periculum religionis causâ minime detrectandum, unâ cum ceteris imperij Principibus piè fortiterque statuisset: Saxonem deindè federatosque religionis socios graviter per Fridericum Palatinum, ac deinde Georgium Trucellum, tum investæ novitatis, tum officij obsequiorumque admonet, leges etiam pacis ad futuri Concilij decisionem valituras proponit; sed cum illi conscientia doctrinaque integritatem ad omnia, tanquam vallum objicerent, quò audacius impuneque magis obliterent, neque erubescerent pietatis obtentu suæ pertinaciæ querere præsidium; detestatus tantam hominum pertinaciam Cæsar, sub finem Septembris decreto, publicis comitijs prælecto, statuit: Ut postquam tentata conciliandi remedia nondum ad plenam dissidentium articulorum compositionem valuissent, agerent porro, ac maturâ consiliorum ratione ante quintum decimum Aprilis diem liquido constituant scripto; velint, nolintne in ceteris etiam capitibus assentiri Cæsari ac Pontifici? Nihil interea novi commiscantur, aut typis per suas ditiones evulgent. Catholicis ubique impunem esse sacrorum pristinaeque religionis cultum patiantur, nullos ex ijs hortatione minime suas in partes cogant. Opem consiliumque in Sacramentarijs atque Anabaptistis per imperium coercentis ad Cæsaris voluntatem adjungant. Laboraturum se, ut intra semestre tempus generale orbis Christiani Concilium indicatur, ad subrepentia, in ordinem utrumque civilem atque Ecclesiasticum, vitia emendatione purganda. Ad hæc Protestantes Cæsari per Pontanum nuntiant: Frustrâ ab ijs expectari, ut abnuntient doctrina in sacris literis prorsus fundatæ; cum absque improba conscientia profligatioe id nequaquam possint.

Cujus rei luculentius demonstrandæ gratiâ Confessionis suæ nuper oppugnata,

LXXXIII  
Melanchthonis ex rei malè acta conscientia, perturbatio.

LXXXIV  
Disceditur absq; concordia decretisq; à Cæsare de nulla re novanda: donec reliqua per Concilium componantur.

LXXXV  
Apologia confessionis à Melanchthonis.



An. Chr.  
lanchthone  
ne oblata  
restitur,  
& Lutherani à  
Brandeburgico  
ob peccati-  
nacionam  
gravioris  
arguentur.

gnata, apologiam à Melanchthone conceptam deferunt; sed à Cæsare repudia-  
tam; denique exemplum decreti, irritâ tamen petitione flagitant. Quibus per  
Joachimum Brandenburgicum rursus in hanc ferè sententiam publicè responsum  
est: Mirari vehementer Cæsarem, has machinationes, seditionis errorisque plenas, tam  
constanti asseveratione in Deum autorem ab illis referri, & tam pugnantiâ sacrâ literis  
earundem provocatione stabiliri, cum vetustissimas hæreses in lucem eruant, Scripturarum  
olim ac Conciliorum testimonijs impietatis convictas damnatasque. Ea verò, quæ Cæsar,  
quæ Electores Principes, quæ Reges totâ Europâ Christiani, quæ Majores ac proavi, ipsius  
adeò Saxonis parentes, tantâ retrò memoriâ, de religione Christiana piè verèque docti  
sunt, & docuerunt, erroris falsitatisque arguere. Quid profectò aliud nihil sit, quam illos  
perfidia accusare universos, hæreticorumque æternis adjudicare supplicijs, se tantum hos  
natos seculo, veluti innocentes purosque Evangeliorum interpretes, in arce religionis san-  
ctitatisque collocare. Videant quora pars orbis ipsi sint? quibus initijs, quibus magistris cu-  
perint? quo pietatis excitanda studio in hunc sensum rapiantur? cum magistratus Ec-  
clesiasticos sedibus eliminent, religiosorum hominum continentiam dissolvant, bona occu-  
pent, consecratisque Deo spolijs ditentur, libertatem omnem vitæ, proscriptis pœnitentiæ je-  
juniorumque legibus, inculcent. Quibus demùm illa Bibliorum sacrarum scrinjs tam ratio-  
ni æquitatisque contraria eruant? Apologiam irritò labore exaratam esse, cum ab exor-  
ditio Cæsar disceptationem de fidei controversijs adversus sacras leges, & receptam omni re-  
trò atate verbi Dei in Ecclesia sententiam, se ingressurum pernegasset. Recipiant porrò se  
ad saniora consilia, justoque ac leni Cæsaris imperio per decretum proposito morem ge-  
rant: quod nisi fecerint, non defuturum officio Cæsarem, Germaniæque Primores, ante ope-  
sanguinemque æquitati propugnanda impensuros; quàm in tanta sacrarum humanarum-  
que rerum injuria pristina religionis causam deserturos. Ad hæc subindè adversarijs  
eadem ferè reponentibus paria adjecta sunt, monitique, quàm gravi rusticorum  
seditioni viam fecissent, quàm petulanter ac contumeliosè in Cæsaris Principumque nomen  
grassatis sint, quàm multas religiosorum hominum possessiones vi dolove occupaverint

ILXXVI  
Protestan-  
tes deni-  
que recu-  
dunt.

Quare  
Cæsarem  
adhuc  
imbelles  
non op-  
presserit.

Et has quidem cum possessoribus in jura sedesque pristinas mandato Impera-  
torio jubentur restituere. Verùm Protestantes cum diu frustra conscientia se E-  
vangelijsque clypeo defendere conati essent, tandem ex Lutheri consilij arenâ  
cedendum rati, Deo se, aiunt, negotium committere, neque æquum recusare ex legibus  
judicium, quo suam cuius innocentiâ testatam faciant. Orare verò Cæsarem, ut con-  
ceptam immeritò offensionem gravioribus in se odijs inflammari ne patiatur. Ita disce-  
dunt, Legatis tamen apud Cæsarem relictis. Discessuri admonentur, Brandebur-  
gicum quedam in illos acrius, velut de obnuntiata amicitia differuisse, quæ susmet judicio,  
non Principum aut Cæsaris adjecisset. Hanc igitur opinionem jubentur deponere, ac nihil  
à Cæsare adversarium, nisi quod mitis judiciorum æquitas decreverit, expectare. Mirum  
certè quibusdam non injuriâ visum est, cur imbelles etiamnum Lutheranorum  
vires nullâque fatis, ut factum postea, societate confirmatas, cum arte consilio-  
que non posset, expeditâ armorum potentia non oppresserit; sed nimirum vere-  
batur Cæsar jam tum graviora bellorū incendia, hoc ex fomite, quàm ut opprimi  
illa sine luculento imperij damno possent, Quid enim si ceteri hæreticorum ar-  
ma

ma Protestantibus junxissent, atque inermem hactenus audaciam ferro etiam exasperassent? Quid si metu ac virium suarum desperatione ad externa se convertissent auxilia Regumque Cæsari invidentium implorassent opem, aut, quod exemplis nuper didicimus, ab immanissimo Christianorum hoste Solimanno juvari maluissent, quàm succumbere? an non illa clades esset, nullis satis remedijs sananda? Quis verò ceteros proceres, liberaſque imperij civitates (quæ aliorum Principum urbiumque jura inviolata cupiunt, ne sua aliquando violentur) Cæsari operam auxiliinque addicturas fuisse asserat? Videlicet illa mentem Imperatoris ad diversa consilia impellebant, armaque, quamvis hactenus felicia, dissuadebant.

Inter hæc Sacramentarij cum à Lutheranorum societate, post tentatam frustra reconciliationem exclusos se animadverterent. Confessionem ex Zwinglij officina prodeuntem per quatuor Imperialium civitatum, Argentinæ, Constantiæ, Memmingæ, Lindaviæque Oratores Cæsari exhibent. Quæ Confessio majori acerbitate confutata, eo præsertim loco, ubi de ortis inani interpretatione Christi verbis, de Eucharistico epulo disertissimè constituentibus illudit; in senatu Principum lecta, contemptimque, quod extremæ impietatis esset, repudiata fuit. Sed ut est humanis sensibus aptior, ijs præsertim in animis, qui semel religionis orbitâ exerrarunt, neque ad tam arduas rerum credendarum sententias submittere intellectum, omnia penetrare cupientem, possunt, plus momenti viriumque ea habuit Confessio (ut temporum hominumque lapsu, ac mutatione animadverſum est) quàm primâ sui imagine audientium cogitationi subiceret. Confutationis exemplar frustra à Cæsare postulatum est, licet, de injurijs ac contumelijs scripto sibi irrogatis quererentur. Mens tamen ipsi adversus hæreticorum omnium artes immota constitit, severoque admodum decreto vetuit Sacramentarios atque Iconoclastas tolerari; aut in traditis Majorum de religione legibus quicquam, ex novi hujus instituti sensu, immutari. Adempta verò Ecclesiasticis viris bona jussit restitui, illosque solum in imperij tutelam recipi, qui huic Cæsaris voluntati assentirentur. Subscriperunt decreto alij per seipſos, alij per procuratores suos. Cæsar, Ferdinandus Rex, Electorum quinque, Principum Ecclesiasticorum triginta, Sæcularium tres & viginti, Abbatum uno dempto totidem, Comitum & Baronum duo & triginta, civitatum Imperialium novem & triginta, Ulmâ, Augustâ, Francofurto, & Hallâ officium declinantibus; fedus deinde inter omnes initum, quo mutuis auxilijs ad Catholicæ religionis contra Turcam Sæctariosque defensionem sese obstrinxerunt. A catholici verò nullam se adversus Turcam opem suppeditaturos professi sunt, nisi pax libertasque Evangelicæ, ut ferebant, religioni concederetur: quam se tantâ fœdiciâ tueri profitebantur, ut palam esset Romanos suæ causæ defensionique diffisos oblatam à se Confessionem refellere, suamque, ut par est, religionem tueri non posse. Cum neque responſionem abs se Confessione oppositam, publica in luce promere, neque abs se reddendam audeant præstolari. Hoc subterfugium non esse, nisi de causâ, justaque propugnatione desperantium. Quo argumento tan-

LXXXVII.  
Sacramen-  
tarij cum  
majori  
approbrio  
confutati  
reſecti.

Severo,  
decreto  
multorum  
consensu  
subscri-  
pto, Sæ-  
cramen-  
tarij da-  
mnantur.

An. Chr. quam vehementi quodam ariete multorum adhuc in fide stantium robur animi debilitarunt; ut ruina deinde plurimorum compertum est.

LXXVIII

*Lutherani instruiti ad pugnam prodibant adversus Catholicos, non solum minus ad certamen paratis, sed etiam ab eodem iusta ex causa prohibitos.*

Et certè exercitatiores illi multò sua in causà quàm Romani hanc in pugnam producebant; ut periculosum non minus esset in arenam progredi, quàm eandem declinare. Illi fortissima quæque veterum hæreticorum tela ex S. literis in Catholicos deprompta congesserant, jam certi, quam in partem hæc ipsa librarent, soloque Scripturæ sacræ, tanquam arcis securissimæ contenti præsidio, ex hac in adversarios sæpè ignaros, quâ parte impetendi essent, improvisò proruebant; hi per Scripturæ divinæ interpretes, Patrum scripta, conciliorumque decreta, tanquam patentissimo effusi campo, vagi oberrabant, ac denique quidquid ex his protulissent, velut plumbeum retundi spiculum ab adversarijs, horum auctoritatem detrectantibus, sentiebant. Jam verò etiam si Romanis pro antiqua fundatissimaque veritate decertantibus, sat doctriinæ viriumque ad hanc pro dignitate propugnandam, modò, in vastiori studio, tempus indulgeretur, suppeteret: tamen Pontificio mandato verabantur, in disputationem progredi; quòd nefas esse sentiret receptissimam fidei ab Apostolico ad nos ævo traductæ veritatem ceu dubiam in disceptationem abstrahere. Poteratque ad firmandam hujus decreti æquitatem Lutheri ipsiusmet hoc anno vulgatum contra Anabaptistas testimonium proferri, illâ Scripturæ fretos sententiâ, cum adultos tantum baptizandos statuerent: *Qui crediderit (quod adultorum solum esse sentiebant) & baptizatus fuerit, salvus erit.* Hos igitur cum profligatos Lutherus vellet, tanquam publicæ pacis turbatores, neque sufficiens ad illos ex folis Scripturis refellendos argumentum suppeteret: *negat cum ejusmodi hominum genere vel disputandum, vel agendum multis, qui articulum in Scripturis fundatum, & consensione orbis Christiani probatum impugnant; sed tanquam impios, & in Deum blasphemos simpliciter damnandos.* Nam hujusmodi dogmata, quæ publico universalis Ecclesiæ consensu recepta sunt, jam pridem satis examinata fuisse, & rationibus, S. Scripturæ testimonijs, professione totius orbis Christiani, infinitis miraculis, multorum Martyrum sanguine, omnium Ecclesiæ Doctorum auctoritate, & libris, ad eum modum confirmata & stabilita; ut ea in disputationem postminimo revocari non deceat. Hoc igitur in se suosque telum Lutherus retorfit: ut iusto appareat silentio abundè Lutheranos à Catholicis, tot præsidijs contra omnem insultum fretis, confutatos fuisse.

LXXIX

*Aliâ premi ratione modoque Lutherani & Confessio eorum confusione repudiari quevisse;*

Ceterum ad plausum Catholicorum, & Adversariorum confusionem, salvâ Pontificis voluntate, Imperator oblatum Confessionis Augustanæ libellum, visum prælectumque, ut factum, publicè, repudiare quamprimum poterat; quòd suam, ut professi erant, adversus Catholicos sententiam, non verbis Scripturæ sacris, sed proprijs errorique obnoxijs discursibus exprompissent. Se enim verò disertam claramque non aliundè, nisi ex verbo Dei expectasse Confessionem; quam cum non dederint, hæc porrò vanitate facessant, suâque erubescant novandi temeritate atque arrogantia. Quod si excepissent, suis se potius, quàm Scripturæ verbis locutos; quia non uno hæc loco, nec consequenter hos articulos, neque apertis omnia verbis, sed deducendâ per discursum sententiâ contineat;

*visi Deo aliter visum.*

ut

in iccirco clariore hâc , magisque compendiosâ opus dissertatione fuerit. In promptu erat responsio , id jam olim à sanctis Patribus concilijsque longè securius præstitum; quos cum ipsi suis verbis utentes, non vereantur errori obnoxios dicere ; id longè potiori de novitijs his Scripturæ S. interpretibus sentiendum. Ideoque nihil in hac Confessione offerri prudentis pijque hominis acceptione dignum. Verbum ipsos Dei promississe non hominum , illud itaque clare definitaque dandum sententiâ, aut cedendum. At fortasse replicaturi erant: se hanc Confessionem ex solo verbo Dei scripto, non verò ut Romani, ex traditionibus etiam non scriptis, ideoque incertis produxisse. Ut proinde illa multò securior præ his debeat existimari, qui varias res tam in fidei articulis, quam cæremonijs extra Scripturam Pontificis sui autoritate credenda observandaque imperent ; quibus tutâ ipsi nequeant conscientiâ acquiescere. Hæc igitur in sua Confessione ad tranquillandas mentes ommissa, ut tantò propiùs S. Scripturæ adhærescant, à qua vel larum unguem deflectere periculosum sentiant. Verùm & hic parata injici obluctantibus vincula poterant. Hoc ipso suum errorem prodere , manifestumque esse, quòd Scripturam non sequantur , quæ disertissimis, & inter postrema quidem Apostolorum scripta verbis mandat : *Tenete traditiones, sive per scripturam sive per sermonem acceptas.* Quo nihil clarius pronuntiarî hac in causa queat: non posse iccirco traditiones non scriptas in Ecclesia Dei negligi , nisi etiam scriptæ ab eis rejiciantur, utrasque ab ejusdem Ecclesiæ infallibili spiritu veritatis directæ, autoritate pendere, quæ non minus certa verbi traditi, quàm scripti custos, & fuerit hætenus, & usque ad sæculorum finem sit futura , quam qui in fide non audierit, meritò ethnicus atque infidelis sit habendus. Quare si quam venerationem S. Scripturæ habeant , in hac tam diserta receptaque ejus sententia jure esse acquiescendum , novitiâ hâc Confessione procul amandatâ.

1530.

2. Thes, 2

Hæc ille hic cerrè conatus omnis Protestantium cum ingenti rubore ad hanc petram veritatis allisus. Neque enim quicquam par in tam clara absolutaque sententia ex verbo Dei scripto produci poterat, quo non scriptæ traditiones, aut Ecclesiæ in petra veritatis fundatæ autoritas elideretur : multòque minùs hanc, quam præ se ferebant Evangelij Apostolici prædicationem ex solis Scripturæ verbis exprompturi erant , aut probaturi suas tantùm ex Scriptura ductas conclusiones infallibili veritate subniti, idque Lutheranos potiùs, quàm, non dicam Catholicos , sed Zwinglianos, aut Anabaptistas, ex S. Scripturis opposita concludentes præstare , quorum mutua ex ijsdem principijs ducta concertatio vanitatem omnium manifesto experimento demonstrabat, ludibrioque rectè sentientium exponebat; quòd certum nobis esse principium veritatis non possit, ex quo non minus falsum , quàm verum deducitur. Hinc verò non aliud patebat effugium , quàm ut sibi tantùm rectæ intelligentiæ spiritum concessum esse profiterentur, atque ad tenerrimum illum suæ conscientiæ sensum , quem lædi nolent, cum risu sapientùm hominum provocarent, qui illud Christi ignorare non poterant : *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, à fructibus eorum cognoscetis eos* , quos superioribus annis

Math, 7  
15.

An. Chr. tales Lutherus in vita moribus scriptisque dederat; ut qui hos à Deo esse sentiret, cum alijs, quàm veræ religionis, pietatisque ac pacis hostibus sentire non posset.

Vide  
Medita-  
ta meæ  
concordiæ  
partem 4. cū  
provoca-  
tione Aca-  
demiarum ad  
publicæ  
autorita-  
tis re-  
sponso-  
nē, qualis  
nulla ha-  
tēnus à  
me visa  
est, nec  
dari rati-  
onabili-  
s po-  
test.

Validissima hujus machinæ vim, quam expertus didici talem esse, cui nemo Sectariorum queat resistere, ut superius quoque insinuatum, præterire hoc loco nolui; cum in qualibet controversia validius nihil sit, quàm argumentis adversarium proprijs, veluti hastâ eidem ereptâ confodere; quod hæc arte spoliatum suis armis, ceu David Goliathum facile opprimat. Promptius itaque ad Protestantes refellendos nihil erat, quàm ad Scripturam S. provocantes, hinc jubere definitam, impermixtamque humanis commentis & fallacibus interpretationibus, sententiam depromere, cui alia è diverso Scriptura, Catholicique à primis sæculis interpretes non contradiceret: id verò non præstantes, ceu compertæ vanitatis homines, contemptim rejicere. Ita & huic, & susceptis postea sine ullo ad veritatem cognitam emolumento disceptationibus aditus uno præcisus istu fuisse. Verùm Deo nondum placuit, hæc mente suppeditatâ, in primo hanc seditionem religionis ortu suppressere: cum ipsius conniventia oporteat hereses esse, ut hi, qui probati sunt, perfecti fiant, aliorumque oppugnatione aliorum virtus, quæ sine adversario friget, firmata tanquam adversus ventis arbor, proficiat: tum ut multorum Europæorum impietas hoc denique erroris barathro versa, digno mactetur supplicio, & separatis in Ecclesia paleis granisque, scoriamque & auro, horum esset usus integrior. Undè quod Clero Religiosisque familijs, atque Ecclesiæ Catholicæ alibi demptum est, accessit alibi tanquam maritimo in æstu, qui non aufferit aquas, sed transfert. Undè quæ Saxonum, aliorumque Septentrionalium, crassiori aurâ atque indole fruendum, infelicitas fuit, hæc ad Meridiem Occidentemque vergentium felicitas est; quod alieno, ex solutiore vita ducto præcipitio cautiore, Christianæ disciplinæ institutum sanctiore cultu prosequantur, aliorumque periculo discant sapere.

LXXX  
Federi  
contra  
Turcam,  
E. electi-  
oni Fer-  
dinandi  
in Regem  
Rom. A-  
catholici,  
nisi facta  
religionis  
libertate,  
noluit  
accedere.

His igitur, ut dixi, Augustæ constitutis, hæud multò post Augustana mulier, præter hominem serpentem bipedem peperit, & hvestrem aprum, captumque animal quadrupes humanam faciem præ se ferebat, ut si natura cum religione degeneraret. Et fanè exulceratis utrimque animis discessum est. Luthero interea tragicis scriptis in adversarios furiosus, quàm unquam antea ex Coburgensi arce detonante. Cæsar verò Ferdinandi fratris in Romanorum Regem eligendi gratiâ, (ut haberet, quem se absente cum autoritate atque imperio in Germaniam sufficeret) Principes Ordinesque Germaniæ Coloniam evocat. Sed Elector Saxo, ceterique Protestantium, non modò venire detrectant; verùm ut ab electione ceteros imperij Principes deterrerent, per literas vehementissimè contendunt, & leges pristinas, & libertatem eligendi violari, si vivis etiamnum Imperatoribus, ad unius familiæ voluntatem atque usum imperium transferatur. Sed & Agrippinam ad Cæsarem 24. Decemb. Smalcaldiâ confederati Principes has literas transmittunt.

*Pererebuit mulorum sermone rumor; de Ferdinando à Tua Majestate ad spem regni Ro-*

MA-

mani admissio. Quã verò illud juris autoritate fiat, nondum satis intelligimus. Adhuc integra tibi cum vita Casar vires constant: nec leges Carolina sinunt, ante fata Imperatoris, Regem succedere: nec in eam necessitatem res imperii coniecta sunt, qua plures in Germania Reges postulent. Quo minus probandum erit, si ad vulgatam Ferdinandi ambitionem ipse Casar, tam immaturo desiderio, fautor accesserit, si Moguntinus ex officii sui ratione Coloniam Principum Ordinumque coitionem hac mente imperet. Hujus consilii cum & nostra intersit, qui eiusdem imperii, velut corporis membra, integritatem maximè cupimus, tacere non possumus, ubi tam luculenta pristina libertati vulnera infligimus. Memineris, ò Casar, quàm sanctã te fide, juratis etiam verbis, legi Carolina tuenda obstrinxeris; ut neque tibi, neque alteri concessione tuã facultatem ullam reliquam feceris ab hac lege deslectendi. Quid verò si te vivo, vidente, atque etiam probante Germanus frater ambitiosè Romanam coronam occupet? annon manifesta juri ac libertati nostræ violentia adhibetur? vetant jura, ne quis ambitionis deprehensus, ne sine consensione Principum, ne superstitè etiamnum Casare in regnum admittatur. Hæc ignorare non potes cum Sacramento defendenda susceperis. Vide quid agas (ignosce liberiori orationi, quam veritas & Reip. communis amor extorquet.) si duos uno tempore imperii cervicibus dominos imponis, tuam autoritatem, nostram libertatem, Reipub. leges opprimis. Veterum tibi temporum memoria redeat, & quantum semina malorum sancia dilenter ac mature considera, ne ad sera denique remedia intempestive respicias.\* Hæc ad Casarem confederati. Saxo etiam alii que Apostata Principes ad septemvirale Collegium ejusdem argumenti literas dedere, ut à proposito jam inclinatos desisterent.

Indictò deinde Smalcaldiam conventu imploratoque vicinorum per Austrum Septentrionemque auxilio, occultis apertisque federibus adversus potentiam Austriacam, suis conatibus nimium iniquam, conjurant, Nec difficile fuit Gallum inveteratã æmulatione cùm Austriacis Germanorum Casaribus certantem, ad opem, non armorum quidem, sed stipendiorum inflectere. Quin & Anglorum Rex Henricus, indignis Annæ Bolenæ meretriculæ amoribus irretitus, divortio Materteram Casaris exclusurus, cum obstanti apud Pontificem Carolo, non mediociter esset offensus, facilè hæreticorum causæ favere cœpit. Danus verò Rex, Megelburgique ac Pomeraniæ Principes, honestã postulati auxilii excusatione, hanc rebellionis fovendæ invidiam declinarunt. Porrò Septemviri, diversorum cohortationibus impulsì, Casarem orant; ne Germaniam deserat, sed in ista majorum suorum imperii que sede, præfens

Verum cùm ad hanc sententiam inflecti non posset, gravissimis que rationibus, ob imminentem Turcarum vim, atrocisque de religione contentiones doceret, alterum post se Reipub. caput summopere necessarium. Et talem quidem virum, de cujus fide vigilantiaque, neque ipse, neque imperium dubitare possit: qui iis etiam præter Caroli rerum peritiam mutatur viribus, quibus & barbarorum resistere immanitati, & seditionis Germanorum consiliis possit occur-

persuadet, qui Colonia electus, Aquis coronatur.

A'a 3

tere

1531.

1531

Protestantes  
suis  
partibus  
firmatis  
inrenti,  
vicinorum  
Regum o-  
pem, ad  
versus  
Austria-  
cos sibi ad-  
jungunt

Belcarus  
lib 20. n.  
36. Surus  
in Com.  
ad hunc  
annum  
Cochlæ-  
us & P-  
lenb. in  
Luthe.

LXXXI  
Ferdinã-  
di fratris  
electione,  
invis  
licet Pro-  
testanti-  
bus ac q-  
etiam  
Barbaro  
Carolo  
sandem

rere facile persuasit, nullum hac in dignitate Ferdinando præferendum, qui ad Austriacorum vires, Bohemiarum Hungariarumque regnorum, licet afflictam non nihil, potentiam, adungeret. Quamquam Guilielmus Bavarorum Dux magnis, cum laudatissima familia, tum egregiarum virtutum ornamentis tanto non impar decori, se suosque familiares negligi, perpetuamque, quatuor ejusdem sanguinis Cæsarium, adoptione imperium, veluti hereditarium occupari, palam quereretur. Ceteri verò Principum quod superiorum annorum experientiam didicissent, per Senatum Imperii, absente Cæsare, minus validè rectèque magnam rerum administrandarum molem sustineri, Ferdinandum, collatis suffragiis Romanorum Regem Colonia Agrippinæ pronuntiarunt, Solenni- que majorum ritu undecimo Januarii die Aquisgranii inaugurarunt.

LXXXII  
Lutherani  
Principes  
& Urbes  
Smalcaldis  
federe  
conjurati  
Franco-  
furti con-  
veniunt,  
& Ferdi-  
nandi e-  
lectioni  
obnuntiant.

Martio deinde mense Smalcaldiæ de federe Acatholicorum ad sui susceptæque religionis defensionem ineundo deliberari cœptum est. Vbi Lutheri liber, de cuiusvis, etiam improbi Magistratus tolerando imperio conscriptus, à Jurisperitis excussus, traditumque ex legibus politicis nonnunquam licere obfistere; quod cum ignorasse se Lutherus apertè profiteretur; facile, & ipse & principum Sectariorum assensum nominaque conjurata adversus Cæsarem amicitia dederunt. Lubeca verò & Lüneburgum frustra ad familiare pactum, invitata sunt. Basilea etiam, Helvetiorumque ZWinglianismo depravata urbes, licet sexennali federe Hassorum Principi (non obscurè faventi) devincti essent: tamen admitti recusarunt, tanquam ejusdem religionis participes. Supererat controversia de Romanorum Rege Ferdinando, quem pro suo Cæsar imperio datis ad Saxonem literis, eo titulo locoque observari jusserat. Cujus rei gratia Francofurtum synedrio Protestantes colliguntur: ubi, quamvis civitatum legati Ferdinandi Regis electioni refragari nollent; Principes tamen viri renuntiarent Cæsari, salvis imperii legibus, electionem, multis partibus vitiosam probare se nequaquam posse. Ita ad bellum in Germania intestinum omnia spectare cœperunt, postquam jam, religionis defendendæ causa, civitates quatuor & viginti principes viri Septem Protestantium nomine animos, armaque sociarent,

LXXXIII  
Lutherus  
publico  
sermone  
Cæsarem ad  
bellum  
vocaturus  
docet & pa-  
rendum  
non esse  
furiosam  
clamari  
aut.

Franciscus etiam, Galliarum Rex Austriacæ offensus potentia centum aureorum nummum millibus apud Bavaros depositis alimenta bellorum subiceret, qui licet religionis dissidia improbaret, armorum tamen, Anglo sibi juncto, se venon destitit; rebellionis non causam studiosus.

Triumphabat inter hæc extremam maledicendi petulantiam Lutherus, duobus planè turbulentis tractatibus (quod Schleidanus manutangit) in lucem emissis. Altero complectebatur admonitionem ad Germanos: quo Cæsari bellum imperaturo minime obsequendum esse contendit; ne rebellionis contra Deum rei, corporis simul animaque periculum incurrant. Neque enim vel Turcam tam insanum esse assertit, qui contra Alcoranum suum pugnet; cum tamen contra Evangelium proprium Diablici Papiste furiose insaniant: ut comparatione tam Sancti Turca, hi merito Demonibus accenseantur. Altera castigationem Decreti Augustani amarulentam omnino comprehendit, atque illa ferè in ceteris verba adhibet.\* Dico ego Martini

tinus Lutherus indignus Evangelista Domini nostri Iesu Christi, quod hoc dogma: Sola fides sine operibus iustificat, coram Deo, firmum atque incussum tolerare debeat Romanus Imperator, Turcicus imperator, Tartaricus imperator, Persarum imperator, Papa, omnes Cardinales, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, Reges, Principes, Domini, falsi fratres, totus mundus simul cum suis Demonibus, atque insuper sustinebunt ignem tartareum capitibus suis imminentem. Hoc esto meum, Doctor Lutheri, à Spiritu Sancto dictamen verumque & sanctum Evangelium. Ad scripti huius calcem adjungit. Ego in Dei nomine atque invocatione super aspidem & basilicum ambulabo, & conculcabo Leonem & Draconem. Ea res inchoata est in vita mea, post mortem perficietur. Vaticanus est de me S. Ioannes Hus, qui cum in vinculis esset Bohemicus scripsit, in hanc sententiam; assabunt nunc anserem Hus, enim anserem linguâ Bohemicâ significat. Sed post annos centum cygnum audient cantantem, quem ferent, quamvis inviti, Hunc se Lutherus esse gloriabatur. Monitus porrò ab amico, tam effreni maledicentiâ temperaret, respondit, alio scripto, inter cetera. \* Nihil curo, quod queratur extare in meo libro mera maledicta, atque Diabolo, hac debet esse gloria mea, meusque honor. Hoc execrationum tonitru, atque fulgur erit aris mihi campani instar, quo ad sepulturam ipsorum insonabo. Tanto zelotâ ad gravissima quæque Reipub. ac salutis negotia autore ac duce utebantur, utique soli viderentur sibi in rebus divinis sapere, omnium recte sentientium iudiciis sedissimo errore desiperent; cum homini usque adeo suarum affectionum impotenti morem gererent. Et cum de S. Scripturâ intelligentia potissimum certamen susceptum esset, unius Apostatæ mallent, quam receptissimæ tot seculis Ecclesiæ universalis interpretationi acquiescere. Incredibili quidem omnibus sanæ mentis hominibus; sed tamen usitata hæreticis perveritate. Ut nihil unquam toto orbe infanitus hæreticorum illa sapientiâ repertum fuerit, quâ primus semper autor plus sapuisse creditur, quam Ecclesia universa. Animadvertit hanc suam aliorumque vertiginem, Lutherana sectæ impensæ jam pridem deditus, Georgius Wicelius Saxo: qui, ut erat sectariorum Ecclesiæ præfectus, ubi Sanctorum Patrum scripta ac primæ veterisque Ecclesiæ monumenta magno studio iustraret; ut hinc religionis recens nata præsidia ac firmamenta, pro causâ, quam susceperat, defensione, accerteret; suâ se expectatione frustrari, ac inani verborum jactatione à Lutheranis veteris Ecclesiæ instaurationem intellexit ostentari, reipsâ, ab omni illos vetustate & antiquorum disciplina remotam novitatem perfidiose moliri; ut, institutâ hanc in rem ex veterum præsentiumque disciplinis comparatione, longè diversis opinionibus Lutherum modò insistere, libello Justo Jonæ oblato, docuerit. Quod hominis studium, cum Lutherus magnoperè averfaretur, accusatum per calumniam Wicelium Witenbergæ vinculis intercept; sed cum erroris illum de Trinitate, nuper per Serretum Hispanum exorti, Campanumque Wicelii familiarem promoti, insinulasset; neque alia suppetere admissi sceleris argumenta, libertatem vitamque eripere innocenti non potuit.

Arrogantia inarticulâ, de sola fide iustificat. re, d. ferendo.

Apolo- gra five Motiva conversianis 176 po edita. LXXXIV Wicelius Lutheri d' scripti- licti 1767 ad 1767

Hic denique Wicelius, ubi ad mentem partesque Catholicorum rediisset, egregiam Apostolicorum Patrum doctrinam Lutherum non posse infringere, variis illius novitatibus, & insensum in hominibus offensum ab eo decessis causis si proprio vulgatis, quas hic breviter subiimus

qui non nanto iustari, erique latis uniber, lu- iste. pra- icia itata s, li- ent: eras erio ratiâ egati ntiâ pro- stare or & rent, reo- eret, cto, duo- ncem i bel- cor- m esse rium d De- ntam Mar- tinus



An. Chr. egregiam facti sui rationem simulque frivolas adversariorum artes scriptis apo-  
 logeticis complexus est. Quorum summa quædam capita hic obiter strictim-  
 que delibanda censuimus; ut quibus jam tum initiis recens condita religio ste-  
 terit, latiusque propagata sit, ex callentissimo earum rerum homine utcunque  
 constet. \* Principio, inquit, comperi religionem hanc nostram schismati,  
 quam Romana illa sit, propiore esse: cum, uti centena alia post Christum na-  
 tæ hæreses, manifestum autorem à communi via abeuntem habeat: nil verò  
 simile de Romana fide, nisi variis ac fluctuantibus adversariorum sententiis,  
 doceatur. Autoris ipsius ingenium moresque arbitratus sum; nihil in illo  
 piium, nihil sanctum constansque: nihil non seditiosum, audax, lubricum,  
 sanguinariūque experiebar. Ad suum unius cerebrum omnium ipse opinio-  
 nes tam pertinaciter revocat; ut quidem verbo sacras literas, reipsa normam  
 fidei seipsum constituat. Interea quæ nuper, ut certissimas fidei regulas, præ-  
 fixit omnibus sub extremo salutis discrimine, mox eadem facilitate refigit, uno-  
 que ore ac calamo affirmat, negat; adstruit destruit; ut hæc me cogitatio, etiam-  
 num à Lutheri partibus stantem, non mediocriter perturbarit: Quid si ipse Dux  
 noster nondum ea assecutus sit, quæ credenda jam nunc ad salutem asserit?  
 Quid si iterum demutet, & diversa ab his asserat, quod post notam illam à  
 Romanis secessionem, annis ab eo superioribus factum: cum, quæ hæcenus  
 tradidisset publico scripto irrita esse voluit. Certe qui primis illi annis ad-  
 hæserunt, ac morte occupati sunt, cum in multis à Romanis nondum dice-  
 serat ipsius etiam Lutheri iudicio veræ expertes fidei, æternum utique pe-  
 rierunt. An non fieri poterit, ut rursus quippiam ejusmodi designet: hæc  
 præsertim tempestate, quando inter illa rerum discrimina, jam ab annis qua-  
 tuor plurimum mitescere compertus est? Ita nimirum, post tot annorum  
 periodos cum Lutero exactas ad huc infidelis fuero, Quæ vero ista hominis  
 inconstantia? an non idem est genius (quem ipse statim exordio se à Deo certissi-  
 mum possidere jurabat) qui hoc opus ut auspiciantem sic absolventem mode-  
 ratur? Jam quantâ in omnes rabie debacchetur, quam implacabili furore ex-  
 æstuet: quis videt, auditque, & in Christi schola ac disciplina Lutherum ver-  
 sari affirmare poterit? Ad Evangelium sacrosque libros provocat: quid in scur-  
 rili hominis lingua, quid ebria ac voluptuaria ejus vita cum Evangelio con-  
 spirat? Quid asseclæ Lutheri omnes, sive plebeia concionis moderatores, ac  
 religionis duces; sive vulgus ipsum, his creditum Pastoribus, Evangelicæ sim-  
 plicitatis habet? Specioso fateor argumento depravati Christianorum in Ec-  
 clesia mores ad emendationem per Lutherum primò postulati sunt, abusus  
 nonnulli ex sacris reprehensi literis, ad Evangelii leges revocata exerrantium  
 libertas; sed pro hac emendatione, extrema morum pernicies; pro corre-  
 ctis abusibus, insana religionis animorumque confusio: pro errore uno, sub  
 Evangelii pallio, infamis & sentiendi, & faciendi licentia in omnem latè  
 Rempub. propagata est. Illa in Deum pietas, templorum frequentia, precum  
 usus, quemadmodum evilvère! ubi jejunia toties in sacris prædicata literis?  
 ubi

sibi penitendi ardor & laudata castimonia? Videlicet ita suum illi Evangelium  
 sequuntur, ut ista, neque ad animi sensum, neque ad usum ullum recipiant.  
 Sola fide, inter avaritiæ luxus, luxuriæque sordes, cœlum sibi patere existi-  
 mant: profligata est quadragesimalis Ecclesiæ abstinentia, Bacchanalia man-  
 sere. Sanctorum vitæ ac festa ludibrio explosa sunt; D. tamen Martini, Bur-  
 chardi, Regum Regni, Joannis, aliorumque dierum comestiones jus suum  
 usumque obtinent. Jam verò incredibilis illa Sectariorum temeritas atque ar-  
 rogantia, quâ omnis retrò ætatis viros in Ecclesia Sanctissimos, doctissimos  
 que erroris iccirco arguunt; quia secum non faciunt; intolerabilis mihi visa  
 est. Ut enim unius seculi, ac non magnæ nationis gens, contra tot seculorum  
 locorumque autoritatem sola scripturas intellexerit? ut etiam post tot ætatum  
 lapsus, verius quam primi Patres, ab Apostolis proximèque consecutis Majo-  
 ribus instructi, assequatur, & hætenus in errore tot seculis consenserit Ecce-  
 lesia, cui portæ inferorum prævalere non possunt, quis ita emotæ mentis sit, ut  
 hoc sine ullo conscientia vulnere tueri queat? Testatæ ex illis multi Sancti-  
 tatis viri, admirandis supra naturam factis, & doctrinam suam, toti orbi ad eò pro-  
 barunt, ut integræ de illis bibliothecæ loquantur: quis ex omni hoc sectario-  
 rum numero, quod maximè in re nova oportuit, vel unius miraculi virtute,  
 recens illud religionis institutum confirmavit? nisi fortè miraculi instar sit,  
 tam repentina morum passim in Rebusp. perturbatio, ut nihil Christianæ sim-  
 plicitatis reliquum sit, ut subditi in principes, hi in se invicem atque ipsa im-  
 perii membra funestis odiis armisque concitentur, ut pristina jam integritas, ac  
 religiosorum hominum continentia probrum sit ac pudor non esse impuden-  
 tem. Illa porrò vertigo & fluctuans disciplina rituumque per Saxonicas Ec-  
 clesias inconstantia quo spectat? Quilibet sacrorum antistes sibi traditam  
 Ecclesiam suo moderatur ingenio, suis cæremoniis sacra ordinat: ut, quot  
 quæque urbs Ecclesias, quot religionis interpretes; tot ritus, tot admini-  
 strandi diversas rationes inveniatur. huic malo corrigendo Provinciarum visi-  
 tatores adhibuimus; sed & illi suo reguntur sensu, ac regunt; & nisi multos  
 audiant, à multis non audiuntur: prorsus alio ingenio Ecclesia Romana admini-  
 stratur: quod hæc in Italia; hoc in Gallia, Hispania, Germania agit: idem  
 vultus, mores, sacra eadem; ut ne ex habitu quenquam discernas; & hæc qui-  
 dem tot seculis, inter tot adversarios cum Romano papatu steterit inconvulsa  
 quæ res omnino plusquam humana ratione nititur. Et sanè illa Sacrorum,  
 cum hominum tum locorum irreverentia deterrere prudentem quemlibet æ-  
 stimatorem debet. Ex sordido saepe projectoque vulgo sacrificulos, penuriã  
 hominum, deligunt: quibus templorum, Evangelii, ac religionis cura de-  
 mandatur, quorum cum existimatio nulla apud cultioris indolis, ingeniique  
 viros sit, religionis sanctitatisque cum illis fama obsolescit. Videas deinde  
 pagorum templa in tabernas passim transisse; cæmeteria bestiarum etiam  
 squalere cadaveribus, & profana jam omnia ante fana curari. Denique ea,  
 quantumvis gravia, prorsus dissimulem, illoq; mesoler unico, quod Evangelicæ

*Au. Chr.* , veritati me totum addicere cupiam, neglectis humanarum traditionum regu-  
 , lis. Jam ego quemlibet sapientem virum omnique affectionum pondere in  
 , hanc illamve partem liberum consulo, quò vult, ut me recipiam? Lutherum,  
 , an Zwinglium; Pelargum, an Campanum audiam? omnes eodem Evangelii  
 , titulo triumphant. Quin & ipsa Romana Ecclesia ejusdem observatione nul-  
 , li se quicquam haecenus concessisse affirmat, siquas traditiones, aut Ecclesiae,  
 , in rebus scripturæ controversis, definitiones admittit: hoc ejusdem se Evan-  
 , gelii cohortatione ac ductu facere asserit. Eodem igitur omnes sacrorum vo-  
 , luminum fundamento se nixos clamant, quantumvis contrariis opinionibus  
 , inter se dissidiant, nemo alterum probat; nemo non damnat erroris. Quid?  
 , quod ipsum Lutherum nemo ita esse clarum in scripturæ interpretatione pro-  
 , bet, qui non, ubi primi sese illius hominis antilogiis senserit, continuo eundem  
 , deserat, seque, non in verba sententiamque Lutheri; sed sacrarum literarum  
 , jurasse asserat? quod est, suo quemque ingenio de scriptura sentire, ac incre-  
 , dibili levitate non tantum ab adversariis, sed amicis etiam ac suæ sectæ disenti-  
 , re velle ac ipsa fateri, ipsum quoque Lutherum spiritu erroris deviasse. Pari-  
 , ego sentiendi temeritate cum olim adversus se invicem ac Romanam simul  
 , Ecclesiam concurrisse legam innumeras alias hæreses, uno omnes, ut fidem  
 , mererentur, Evangelii nomine vulgatas; cumque intercidisse penè universas  
 , solamque etiamnum Romanam Ecclesiam persistere, latiusque inter ipsas Se-  
 , ctariorum machinationes toto orbe propagari intelligam; cum denique om-  
 , nem tantarum seditionum fontem, ipsam scripturam videam aliis aliisque sen-  
 , tentiis, pro cuiusque privati temeritate arrogantique sensu explicatam; ne-  
 , que ulla finendarum controversiarum sapientior expeditiorque occurrat ratio,  
 , quàm à Romana haecenus Ecclesia per Conciliorum sub uno capite Pontifice ed-  
 , citionem usurpata sit; quis jure mihi, utrarumque jam partium non ignaro, ex-  
 , probret, si ad hanc me recipiam, quam recta ratio tutissimam ad salutem aperit?  
 , Res hæc est, quæ non ex opum honorumque discrimine, sed ex ipsa felicitate  
 , aut infelicitate aternitatis alea pondus habet; ut nemo irasci mihi possit, si,  
 , quanto hic possim rationis nisu, exploratis erroribus, eò demum convertar,  
 , quo certiora argumenta indubitata fidei salutisque revocant. \* Hæc pauca ex

*LXXXV* Wicelii defensione excerptimus qui inter cetera funestam bellorum tempesta-  
*H. VIII,* tem Europæ imminere ex hoc fonte non malè est auguratus, quam ad extre-  
*Duce* mum omnis religionis per Germaniam excidium desavituram existimabat;  
*Zwinglio* quod vulgus Principesque, aut illà vivendi libertate, aut bonorum Ecclesie  
*religionis* Romanæ subductorum aviditate occupati, haud facile ad pristinum religionis ju-  
*causa co-* gum revocandi.  
*ordinari-*

*ma, se* Eodem tempore in Helvetiis furor ille religionis homines tanquam insano  
*n. utro* cestro percitos, ad contumelias injuriasque primum, deinde ad arma pertra-  
*et. Duce* xit. Tigurini cum Bernatibus Lucernenses aliosque Helvetiorum populos,  
*in rilo* improbis machinationibus provocatos, ad bellum concitarunt. Hi antiqua  
*amittit.* religionis placita; illi nova tuebantur, Zwinglio domi forisque propugnatores.  
 , furius comment. Schleidanus. l. 8. Cochlain vita Luth. Sed

Sed lingua ille quam manu felicior, in acie quâ steterit, pro templis arisque quas devastaverat, pro religione, quam exciderat, occubuit: dignus morte qui tot aliorum vitam perditæ corruperat. Mille quingenti ex Tigurinis, insidiis Catholicorum circumventi occubuerunt, contemnendo facile damno, nisi cladem unius Zwinglii strages cumulatiorem fecisset. Iterum iterumque, pertinacium odio, collata manus infelici semper A catholicorum exitu: dum, mutua denique sed turpi Catholicis victoribus pace, sancirent, ne quis alteri religionis causa molestus esse pergeret.

Venerat in Belgium hac tempestate cum Maria sorore, Hungariæ Regis vi-  
dua, Carolus: quam, Margaritæ amitæ jam vitâ functæ loco, Præsidem iis  
Provinciis destinaverat. Hic inter alia Christierno Daniæ Sueciæque Regi, ex  
Isabella sororis nuptiis sibi affini, expectata dudum auxilia constituit. Multis  
ille magnisque, avaritiæ & crudelitatis exemplis, subditorum favore reg-  
noque exciderat. Illud imprimis facinore, memoriæque ipsâ perquam trucu-  
lentum; quod Stocholmi in Suecia edidit. Urbem hanc cum obsidione pacto-  
que interceptisset, Proceres omnes, tanquam benevolentiam insigni conciliatu-  
rus, triduo convivio cautè festiveque recreat; sed sine per quam tragico Thy-  
estæas hæc epulas funestat, cum dispositis per Urbem armatorum cohortibus,  
immissisque Sicariorum audacissimis convivas, nihil minus opinantes, cru-  
deli spectaculo interimeret: ac versa deinde in urbem immani rabie, aliquot die-  
rum continuatâ cæde, totam exhauriret incolis: &, ne quam in tanta barba-  
rie perfidiam omitteret, profugorum latentiumque reliquias proclamatâ im-  
munitate elicit; ut & iis gladio subjectis, fidem simul omnem, ac humanita-  
tem suam cum innocentium sanguine profunderet. Quo quidem facinore mul-  
torum vitam, omnium benevolentiam sustulit, expertusque est, *Violentum nullum  
imperium esse diuturnum; nec securum Regem, quem omnes metuant.* Nam, ut ipsi  
Christierno subditi sic ille invisus subditis eorum odium armisq; gravissimè  
exagitatus, regno denique utroque eiectus est: quod Procerum voluntate,  
apud Danos Fridericus Christierni patruus, Dux Holsatarum; apud Suecos,  
Gustavus Lutheranæ sectæ princeps, Christierni nuper custodiâ elapsus, occu-  
pavit. Regem igitur, tam fœdè exulantem, spe magis, quam promptis auxi-  
liis Cæsar sustentabat. Exul ille Melchinia opem adventumque Caroli præsto-  
labatur, ac denique hoc anno duodecim onerariarum navium classe exercituque  
decem millium in Noruegiâ contendit, ubi junctis Lubicensium cum Danis Sue-  
icoque viribus facilè superatur, Aisloi (quam urbem occupaverat) moenibus  
incluus, fidemque cum adversariis tractandi pactus, parem illi, quam olim præ-  
stiterat, expertus est, cum Sunderburgi Holsatiæ munitissimæ arcis inclusus,  
annorum quinque & viginti captivitatem morte denique absolvit miseratione di-  
gnior, nisi bis captus corpore ac mente, Lutheranæ religionis infelix assecla in-  
terisset.

Cæsar instaurato Belgarum principatus, ut majoribus indies incrementis gli-

Bb 2

scentem

LXXXVI  
Carolus,  
Maria si-  
sore Bel-  
gii propo-  
sio, Chri-  
stierno  
Daniæ &  
Sueciæ Re-  
gii, merito  
sua cru-  
delitatis  
exuli, frug-  
stra au-  
xilium  
prestat.

Schleid.  
l. 4. Spou-  
dan. an.  
1518 20.  
23 32.

LXXXVII  
Cæsar,  
post 1518

An. Chr.  
zara pira  
Ratisbona  
& S. Wien  
fortia con  
siliandi  
remedia,  
denique,  
ne contra  
Tur. am  
sibi Prote  
stantes  
iungeret  
possessio  
nes Eccl.  
bonorum  
& pa. em  
usque ad  
proximū  
conciliū  
indulget.

Goldast.  
tom. 1 & 2

LXXXIX  
Ingens  
Christia  
norum ex  
ercitus  
160. mil  
lium in  
Austria  
colleitur  
habiti. sed  
primus  
Soliman  
ni ingres  
sus parū  
secundus  
fuit.

Jov. bist.  
l. 30. Sa  
rius in  
Comme  
rit, Schild.  
lib. 8.

scientem conjurationis pestem incruentis remediis sanaret inprimis anxius; Spiram Comitia indixerat; sed mox ex communi sententia Ratisbonam translatam, ut Turcarum consilia collecti illic Principes propius inspicerent. Dum tamen huc Cæsar aliique orthodoxorum Proceres à mense Januario contendunt, Sweinfordiæ urbe Franconum Protestantes coeunt, ad quos ex voluntate Cæsaris Electores duo Moguntiæ ac Palatinus Rheni profecti, omnes conciliandi diffidii vias rationesque explorant; sed irrito prorsus conatu religionis controversiæ oppugnatae sunt. Cæsar denique, ut adversus Solimannum ingenti hominum multitudine Austria Germaniæque minitantem, vires sibi Germanorum adjungeret, in altero à Protestantibus coacto Noribergæ Comitio illorum postulatis morem gerit, integramque, contra intentatas à Judicio Imperiali lites, Ecclesiasticorum bonorum possessionem indulget, ac vetat religionis causâ cuiquam molestiam creari, usque ad futuram, intra semestre, aut generalis, aut provincialis Concilii decisionem, Quod Pontificiis nequicquam dissuadentibus, existimaret in summis rei Christianæ periculis, minus discrimen negligendum, & iniqua aliquando toleranda, ut æqua impetrentur. Hac igitur re sub finem Julii per utrumque Principem constitutâ, ac sub Augusti initium Ratisbonæ confirmatâ opem omnes operamque contra Turcam Cæsari detulerunt. Quod obsequium ultimum Joanni Saxonæ Principi in vita fuit, qui post brevem electoralis dignitatis honorem spirare ac sperare desit sectæ per Lutherum auspiciatæ post fratrem præcipuum columen. Cui Joannes Fridericus filius, haud minus infelix successit.

Interea ex Italia Belgioque quantum potest militem evocat, Dux ipse atque Imperator omnium futurus Carolus. Et quidem ex Germanis Pratorianarum cohortium nomine, duodecim sibi adjungit millia. Itali Principes cum summo Pontifice operam dedere; ut optimus quisque veteranorum militum, ingenti multitudine, sub Alphonsi Vastii ac Ferdinandi Gonzagæ præregis Neapolitanus auspiciis, Cæsaris vexilla sequeretur: quibus Hippolitum Mediceum Cardinalem cum delectis copiis Pontifex adjunxit, totâ Italiæ nobilitate sacrum hoc bellum propriis impendiis prosequente. Affluxit ex omni propemodum natione, si Gallos exceperis, Viennâ exercitus Christianorum ingens; ut supra ducenta & sexaginta hominum millia vni denique, in castris Imperator censeret, quibus Patavienfis ex Bavarica familia Episcopus Ernestus Guilielmi Ducis frater tritum se mensium annonam præbiturum receperat. Solimannus verò, innumerabili hominum multitudine, apud Belgradum, contracta, ad Austriæ se fines transfuderat; ubi, velut ex transitu, ignobile despectumque oppidum Guintium occupaturus, tanti nominis viriumque famâ inutili viginti dierum obsidione turpiter amissis æterna Nicolai Jurixii, fortissimi propugnatoris, gloriâ. Emisit subinde prædatum quindécim facile equitum millia Catono duce, qui Viennenses per agros, omni immanitatis genere exercito, parum felicem sortitus reditum, variis nostrorum equitum turmis, locisque ac præliis attritus, suo suorumque sanguine inconsultam prædandi licentiam absolvit. Cæsar etiamnum Lintii cum

parte

parte exercitus morabatur, quando intellexit Gretzium, Stiria oppidum versus  
 totis castris, hostem movere. Igitur adhibitis in consilium belli ducibus, pug-  
 nantibus multorum sententiis deliberatum est; Gretzium, defendendi causa,  
 an Viennam, hostis opportuno loco expectandi gratia, peteret? Erat hoc iter  
 abruptis vallibus montiumque jugis summe asperum, ac curulium tormento-  
 rum vecturae perquam iniquum, quod tamen, non paucis, nostro comodum pe-  
 diti contra Turcarum equitatum, quo maxime valebant, assererent. Neque enim  
 aliud Solimannus expectabat, quam ut a pertis Caesaris exercitum campis na-  
 ctus, multitudine equitum circumfunderet, eminensque ac carptim lacessendo  
 potius, quam totis castris aggrediendo fatigaret, cum arte magis, ac numero  
 vincendum sibi, quam robore, contra fortissima Europaeorum corpora existi-  
 maret. sed obtinuit sententia, quae Viennae contendebat subsistendum con-  
 tra hostem non magnopere urbibus timendum, quod Campestria tantum, ad  
 captandum praedium tormenta duceret; adeoque idoneo ad comitatum pug-  
 namque loco operiendus esset. Jam istuc sub auspiciis Friderici Palatini, for-  
 tissimo Germanorum Heroe, Teutonice nobilitatis robur, & delecta militiae  
 decora confluerant, emulatione quadam nationum urbiumque, pro salute  
 publica optimum quemque ad bellum destinantium, quando nullam majorum a-  
 tate ac recordatione, quicquid a Viadro amne ad Britannicum Oceanum, &  
 Rhaticis Iuliiisque Alpibus ad Hercyniae silvam terrarum intercipitur, una con-  
 spiratione, jurata adversus Turcam, arma induisset.

Solimannus  
 ni de pua  
 gna confu-  
 cium.

XC

Exerci-  
 tus Caesa-  
 ris in ac-  
 tem ordi-  
 nisque ad-  
 gestum.

Caesar ubi praesens lustrasset militem, haud procul Viennae mœnibus totum  
 per ordines, velut in hostem adventantem, pugnaturum degeffit. Mediam a-  
 ciei planiciem tria hastatorum peditum occupabant agmina, magnis a se invi-  
 cem aequalibusque in latitudinem spatii discedentia. His intervallis, ac geminis  
 veluti ex latere hiatibus, equitatus, in duas distributus partes, receptus est; ne  
 expeditis tercentum (quos propemodum hostis censebat) equitum millibus  
 aperto campo, extraque omne munimentum temere objiceretur. Levis deinde  
 sclopetariorum cohors longo, nec tamen densiori quam virorum quinque,  
 circuitu quadratas hastatorum phalanges circumdabat, triginta ab iisdem pas-  
 sum intervallo, frontem, latera tergaque, non interrupta serie,  
 muniendo: geminis tantum ad utrumque cornu exercitus, locis, tan-  
 quam valvis, ad emittendum recipiendumque liberè equitem, patebat. Cu-  
 rulum tormentorum insignis copia per ordinem ante levis armatura peditum  
 digesta erat; eâ ratione, ut cum usui frequenti calefacta explosione minus serviret  
 munitionis tamen vallique instar irrupturo hosti objiceretur. Et verò Sclope-  
 tariorum corona, licet quinque tantum densata ordinibus, ad hostilem tamen  
 imperium, continuatâ glandium procellâ, retardandum, sufficere peritis vide-  
 batur, cum alternantibus ordinibus facile ultimum instaurarent jacula, dum primi,  
 quaternâ successione, profunderent. Quin etiam si turbatio incidisset, para-  
 tus erat ad hastatorum ordinem receptus, in quo tanquam munimento recti  
 pugnant. Solis Vngaris extra septa alarum officio fungi placuit; quod in-

*An. Chr.* gentibus animis, velocique equitatu freti Turcarum artes viresque despicerent. Ita distributi exercitus, dextrum cornu Cæsar, lævum Ferdinandus moderabatur: tam rara illustrique lectissimorum virorum; suis stationibus inhaerentium multitudine ac specie, ut ex admirando prorsus spectaculo, atque ingentis victoriæ spe intuentium ora lacrymis madescerent. Subinde memorant Cæsarem, tanti exercitus nixum fiduciâ, Solimannum, licet quingenta censebantur millia, ad decretorium certamen missa pugnae indictæ tesserâ, chirothecâ, provocasse: Sed Turcam, malè metuentem, periculum detrectasse respondisseque, *Non Te ego, Carole, sed tuam fortunam reformido.* Vnde vincendi spes nostra brevi, juxtaque amittendæ victoriæ timor evanuit. Nam Solimannus, intellecto robore consilioque Catholicorum Dravo tumultuariis pontibus strato, Belgradum immensas Orientis copias ignominiosè timidèque reduxit, identidem venientem à tergo Carolum pertimescens; quòd Illyrici equites postrema recedentium agmina minutis captim præliis conciderent. Ita tantus barbarorum apparatus, tantæque, quanta nullâ hominum memoriâ collectæ his locis copiæ, momento sine pugna disjectæ sunt, quando Solimannus Germaniam intestinis seditionibus distractam, nequaquam tam præsentem defendendam virtute sperasset. Verùm intellexit, Germanis, etiam inter mutua odia dissidentibus, consilium audaciamque ad communem hostem reprimendum superesse non minus, quam Canibus concertatione mutua ad Lupum in se venientem conversis. Neque lacessendos deinde gravius existimavit, ne oblitteratâ popularium offensione conciliati, conjuratum Hispanorum, Germanorumque potentiam, sibi maximè formidandam, suum in caput concitaret, felicemque hæcenus armorum cursum, hunc in scopulum, tanquam classem opulentam, impingeret; plus habiturus in clade, quàm periculorum fuga dedecoris.



LIBER